

*MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80497-7*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

NOETZEL, WILHELM

TITLE:

DE ARCHAISMIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1908

Master Negative #

92-80497-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

BKS/PROD Books FUL/BIB NYCG92-B10502 Acquisitions NYCG-PT
 FIN 10 ILRC9886917-B - Record 1 of 1 - Record added today

+

ID:NYCG92-B10502 RTYP:a ST:p FRN: MS: EL:u AD:02-13-92
 CC:9667 BLT:am DCF: CSC:d MOD: SNR: ATC: UD:02-13-92
 CP:qw L:lat INT: GPC: BIO: FIC:0 CON:
 PC:s PD:1908/ REP:a CP1:0 FS1:0 ILC:a II:0
 HMD:d OR:? POL:b DM:d RR:d??? COL:b EML:a GEN:c BSE:a
 040 NNC†cNNC
 100 1 Noetzel, Wilhelm.
 245 10 De archaismis†bqui apud veteres Romanorum poetas scaenicos inveniuntur
 r in finibus aut versuum aut colorum in iambum exeuntium†h[microform]†c
 Scripsit Guilelmus Noetzel.
 260 Berolini,†btypis expressit M. Driesner,†c1908.
 300 68 p.†btables.
 502 Dissertation--Berlin.
 LDG .RLIN
 QD 02-13-92

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
 IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
 DATE FILMED: 3/12/92 INITIALS TM
 FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIM

Association for Information and Image Management




1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

55840

De archaismis,
qui apud veteres Romanorum poetas scaenicos inveni-
untur in finibus aut versuum aut colorum in iambum
exeuntium.

12

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA-GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS NOETZEL

HANOVERANUS.

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR DIE IV. MENSIS AUGUSTI ANNI 1908.

De dissertatione judicarunt:

E. Norden

J. Vahlen.

Parentibus optimis.

Qui priscas atque obsoletas apud Terentium verborum formas, quas collectas praebet A. G. Engelbrecht in opusculo, quod inscripsit „Studia Terentiana I“ (Wien 1883), animo attento perlustraverit, eum non fugiet ex toto illo numero facile posse eximi non paucas formas, quae a Terentio nullis aliis versuum locis collocari potuisse videantur nisi in finibus versuum colorumve in iambum exeuntium, velut infinitivi praesentis passivi in-*ier* cadentes, coniunctivi praesentis verbi *sum* formae pleniores scil. *siem, sies, siet, sient* similiaque. Quarum formarum cum necessario nulla non finiatur iambo puro aut pyrrhichio, ceterarum omnium apud Engelbrechtum formarum vix quaequam in iambum exit, fere omnes in trochaeos aut spondeos exeunt, ita ut haec quasi lex constituenda esse videri possit: eae quae in trochaeum aut spondeum exeunt formae priscae atque obsoletae omnibus versuum locis inveniuntur exceptis iis, in quibus trochaeo aut spondeo uti non licebat metri causa; contra archaismi ei, qui iambo aut pyrrhichio finiuntur, a poeta scaenico non simili modo in versuum sedibus praeter eas, in quibus iambo aut pyrrhichio uti per metrum non licebat, omnibus adhiberi, sed fere nullis aliis locis collocari potuisse videntur nisi iis, quibus metri causa non poterat usurpari nisi iambus purus aut pyrrhichius. Atque haec mira differentia non apud Terentium solum observatur, observatur apud omnes veteres Romanorum poetas scaenicos. Maxime autem conspicuus illorum archaismorum in iambum aut pyrrhichium exeuntium usus est in finibus versuum senariorum octonariorumque iambicorum, septenariorum trochaicorum atque pariter ante diaeresin mediam septenariorum octonariorumque iambicorum et ante caesuram mediam septenariorum trochaicorum. Itaque praecipue hos versus examinerunt, quicumque adhuc de illo usu singulari egerunt; minus examinerunt cetera apud veteres poetas scaenicos metra. Qui tamen usus quomodo explicandus sit, quaeri non potest, donec sunt qui has formas iambo aut pyrrhichio finitas ne in illis senariis, septenariis, octonariis iambicis septenariisque trochaicis quidem ad iambicos versuum colorumve fines solos pertinere suo iure sibi videantur contendere, cum nonnulli alii numerum sedum, ad quas illi archaismi in his versibus solas pertinere putentur, maiorem modo existimandum esse dicant. Hac autem de re ne amplius dubitetur, propositum mihi est hac disputatione quantum poterit perficere.

Atque adhuc multi iam viri docti alii de aliis sive apud Plautum sive apud Terentium sive apud omnes veteres poetas scaenicos archaismis scripserunt, sed aut ita ut, cum disputatio ipsa de longe aliis rebus esset, occasione oblata pauca in universum de his archaismis verba facerent, aut ita ut de singulis modo horum archaismorum disputarent. Inde autem quod illi ad certum de collocatione illorum verborum in iambum aut pyrrhichium exeuntium iudicium

non pervenerunt, minime sequitur, ut omnino non possit eo perveniri; immo necessarium videtur suspicari eos viros usos esse minore exemplorum copia quam ex qua verus rerum status patefieret. Itaque quaecumque illi elaboraverunt, ea colligenda atque excutienda et, quantum fieri posset, nova opera augenda mihi esse intellexi.

Una autem de re eaque haud parvi momenti illorum virorum doctorum perpauci verba fecerunt; neque enim iniuria quaeri potest, illarum formarum qua quaeque ratione archaismus appellari debeat, cum nonnullae earum utrum in archaismis numerandae sint necne velut *nevolt*, *non velis* aliaque plane in ambiguo sit. Sed veniam peto, quod ne ego quidem hanc rem explanabo propterea quod neque Italicis dialectis antiquis neque Romanensibus quae dicuntur linguis ita iam studere potui, ut illud munus subire satis confidenter auderem.

Quid quod iisdem illis versuum locis apud veteres poetas scaenicos neque ullis aliis inveniuntur verba, quibus archaismorum nomen certo non potest attribui velut *aerius*, adiectiva in *-icius* cadentia aliaque. Quae formae certo non archaicae cum minime aliis legibus obstrictae esse videantur atque archaismi veri, eandem esse causam necesse est, cur archaismi veri nisi his versuum locis non inveniuntur atque cur illae formae non archaicae. Si vero causa collocationis peculiaris et in archaismis veris et in illis formis non archaicis una atque eadem est, quid ad reperiendam atque explicandam hanc causam refert scire, utrae illarum vocum vere archaicae utrae non archaicae sint atque quid tandem hae voces non archaicae putandae sint? Et cum hoc opusculum scribere instituerim maxime eo consilio, ut quasi fundamentum praerberem ad cognoscendum explicandumque singularem illum usum atque collocationem archaismorum cum illis formis non archaicis communem, vix ullo incommodo fieri credo, quod archaicas formas et non archaicas non iam plane distinguere me posse scio, quoniam hoc nihil ad illam rem; immo iuvabit in utrisque vocibus causam singularis illius usus reperisse, quem usum cum communis sit in ambobus vocum generibus simul communiterque exquirere videtur licere. Itaque mihi est in animo in disputatione mea colligendis quam plurimis talium de quibus dixi archaismorum exemplis addendisque complurium illarum vocum non archaicarum exemplis atque his omnibus excutiendis experiri, quibus legibus illa verba et archaica et non archaica apud veteres Romanorum poetas scaenicos re vera obstricta fuerint.

Sed priusquam ad ipsam rem venio, mihi commemorandum est, quid viri docti adhuc de usu et collocatione illarum vocum archaicarum et non archaicarum probaverint. Prima autem laudanda est memorabilis illa Ludovici Langeni commentatio, quam inscripsit: „Über die Bildung des lateinischen Infinitivus Praesentis Passivi“ (Denkschriften der Wiener Akademie vol. X, 1860), in qua commentatione investigatur usus infinitivorum archaicorum in *-ier* exeuntium non apud veteres Romanorum poetas scaenicos solos, sed in tota latinitate. Quod autem ad veteres poetas scaenicos attinet, ex tabella quam Langen pagina 27 proposuit haec lex videtur colligenda esse: illas formas archaicas a veteribus poetis scaenicis nullis aliis versuum locis collocari potuisse nisi in finibus

senariorum octonariorumque iambicorum et septenariorum trochaicorum aut ante diaeresin mediam septenariorum octonariorumve iambicorum. Hanc quae ex unius archaismi scil. infinitivorum in *-ier* cadentium exemplis constituta erat, legem quicumque post Langenum de similibus archaismorum usu et collocatione scripserunt receperunt atque vix cuiquam eorum scrupulus in mentem incidit, nonne fortasse dilatanda esset illa lex atque etiam verisimile esset eam dilatandam esse in aliis formationibus similibus iudicandis. Ex illa igitur opinione praeiudicata profectus Conradt Hermes X (1876) p. 101-106, ubi de Plauti Terentiique usu agit, unicum illud infinitivorum in *-ier* exeuntium exemplum, quod apud Terentium in alia sede legitur atque quas ille legitimas putabat sedes, corruptela depravatam arbitratus emendare non dubitavit. Eandem autem illam legem cum etiam in coniunctivi praesentis verbi *sum* formis plenioribus atque in perfectis in *-vi* exeuntibus valere persuasum haberet, harum quoque formarum exempla ea, quae illi legi non satisfaciebant, ad unum omnia emendanda esse decrevit atque ipse dedit operam ut emendaret. De verbi *sum* autem formis archaicis iam eandem fere sententiam exposuerat Mueller in supplem. Plautin. prosod. (1871) p. 83.

Plane vero contrariam sententiam primus protulit E. Hauler in censura Engelbrechti opusculi supra allati (Philolog. Rundschau IV (1884) No. 22 pag. 682). Hauleri autem sententiam amplexus est E. Stange atque summa diligentia probare studuit in libello quem inscripsit „De archaismis Terentianis“ (Gymnasial-Programm Wehlau 1890), ubi maxime de Terentiano illorum trium quos adhuc commemoravi archaismorum usu disputat. Stange enim cum exempla illa non in legitimis quae ad id tempus putabantur sedibus collocata fere omnia offensionem nullam praeter hanc ipsam collocationem habere sibi persuasisset, suo certe iure dicit ex illa lege sola minime posse colligi haec exempla omnia corrupta atque emendanda esse, nisi alia argumenta certiora accedant. Immo vero ex his exemplis cum pleraque ipsa integra et intacta servanda esse videantur, sequi contendit, ut illa lex iniuria constituta sit; quin etiam coniunctivi praesentis verbi *sum* formas pleniores et infinitivos in *-ier* exeutes omnino nulla lege obstringi potuisse, quia eas formas Plauti Terentiique temporibus minime iam obsolevisse, sed omnium in ore fuisse appareat et ex aliorum scriptorum usu et ex inscriptionibus et ex testimonio Ciceroniano.

At primum de illorum praeter Ciceronem scriptorum testimoniis quid videtur iudicandum esse, si fere omnia apud poetas, perpauca apud solutae orationis scriptores inveniri cognoveris? Quid quod Ciceronis loci p. 27 allati, quibus locis infinitivi in *-ier* cadentes leguntur, versus sunt, quamquam apud Neuium III³ p. 225 solutae quoque orationis exempla Ciceroniana inveniri poterant, sed quae hoc ipso loco aliter explicantur; exstant enim in formulis aut iudicialibus aut religiosis. His igitur exemplis omnibus nihil probatur. Praeterea autem Stange, quod ad infinitivos in *-ier* exeutes attinet, nullum aliud apud scriptores orationis solutae exemplum affert, etsi non debet negari eum afferre potuisse tres apud veteres orationis solutae scriptores locos, quos infra commemorabo.

Verbi autem *sum* formarum pleniorum exempla praeter Catoniana a Stangio afferuntur ex orationis solutae scriptoribus tribus. Primum enim

pag. 26 Symmachus et Solinus appellantur. At ille in epist. 3, 44 ipse proficitur: „ἀρχαϊσμὸν” scribendi non invitus adfecto“; et de Solino vix aliter iudices. Praeterea Stange p. 25 affert locum Varronianum, scil. de ling. lat. IX 77 (Spengel p. 221, lin. 8), ubi *siet* traditur codicibus omnibus praeter M, qui *sit* habet. Sed ne hanc unicam quidem eiusmodi apud Varronem formam sine dubio esse, immo vero corruptam putandam apparere mihi videtur ex Spengeli adnotatione.

Refutata igitur mihi videntur exempla a Stangio quidem allata omnia praeter Catoniana. De his autem exemplis Catonianis quid dicendum sit, nondum liquere opinor; Paulum Weisium p. 46/47 dissertationis, cui indicem fecit „Quaestionum Catonianarum capita V“ (Goettingae 1886), non in omnibus rebus plane recte iudicasse persuasum habeo maxime propterea quod inscriptionum testimoniis mihi videtur non minus falso usus esse quam Stange ipse. De inscriptionum autem exemplis nolo hoc loco iterare ea, quae contra Stangium optime exposuit Arthur Brock p. 85/86 disputationis, quam inscripsit „De perfecti in *-vi* exeuntis formis apud Plautum ceterosque poetas iambicos“, quae disputatio est caput II. libri, qui inscriptus est „Quaestionum grammaticarum capita duo“ (Jurievi (Dorpati) 1897). Denique de testimonio illo Ciceroniano, quod legitur orat. 47,157, eundem virum doctissimum recte disputare credo, etsi hunc locum Ciceronis nondum plane recte explicatum esse censeo propterea quod non explicabatur ex ampliore contextu.

Praeterea autem si assumuntur ea, quae Brock p. 94 sqq. demonstrat, sententiam Hauleri Stangiique, qui illos archaismos temporibus Plauti et Terentii non iam plane obsoletos fuisse contendebant, non posse recto talo stare mihi persuasum est.

Illud vero Stangium suo iure contendere mihi videri iam supra dixi pleraque eorum exemplorum, quae non in legitimis quae ad id tempus viderentur sedibus exstarent, non corrigenda esse. Deinde eundem virum doctissimum recte dixisse mihi persuasum est formas archaicas verbi *sum* et infinitivos in *-ier* exeutes apud Terentium exstare non potuisse nisi syllaba ultima accentu praedita, ita ut syllaba paenultima et ultima semper numero iambico legerentur. Atque ne apud ceteros quidem veteres poetas scaenicos rem aliter se habere contendo. De hoc nunquam quemquam dubitasse puto nisi Hodgmanum (cf. Class. Quart. I (1907) p. 108) et Lindsayum (cf. editionem Plautinam), quibuscum equidem in hac re non facio. Quare quamquam argumentationes Stangii ceteras probare non possum, tamen mihi videtur suo iure statuisse haec quae pag. 33 protulit: „Ex his exemplis perspicui potest poetam“ (scil. Terentium) „si his formis medio in versu usus est, primum has archaicas formationes tantummodo in iambicis versibus admisisse, tum aut ante caesuram aut paribus locis ita, ut hae formae accentu ultimae syllabae, *siet* et *-iér*, imposito iambum purum et sincerum expleant.“ Eisdem versuum locis apud Plautum has formas in codicibus tradi addit.

De perfecti autem in *-vi* exeuntis formis Stange quidem pauca verba fecit, copiosissime diligentissimeque tractavit Brock in disputatione allata. Ibi autem Brock non de tribus illis quas adhuc commemoravi formationibus solis agit, sed

etiam aliorum archaismorum complurium exempla collegit, qui item non inveniri videbantur nisi isdem illis versuum locis quibus infinitivi in *-ier* exeutes et coniunctivi praesentis verbi *sum* formae pleniores. Quin etiam complures voces et formas certe non archaicas ne ipsas quidem aliis versuum locis apud veteres Romanorum poetas scaenicos inveniri observavit earumque exempla collegit. Neque vero Terentii solius usum investigavit, sed omnium veterum poetarum scaenicorum.

Ex tanta autem exemplorum copia eo magis apparere vir doctissimus putabat Stangii sententiam supra disputatam falsam esse, quo minora exempla restare videbantur quae non exstabant in versuum sedibus illis legitimis quae ad id tempus existimabantur. Accedebat quod Brockio contigit ut diminueret numerum horum quae contraria videbantur exemplorum; ipse enim primus et sane recte cognovit (cf. pag. 81) ante caesuram mediam septenariorum trochaicorum non minus legitimum talium formarum archaicarum et non archaicarum locum esse quam ante diaeresin mediam septenariorum et octonariorum iambicorum. Qua de re quod Stange nihil dixit, non mirum est, quoniam in illis duobus archaismis, de quibus uberius egit, apud Terentium talia exempla non inveniebat. Item nihil dixit neque dicere potuit de illorum archaismorum vocumque non archaicarum in canticis usu, de quo Brock demum iudicare poterat. Qui vir doctissimus cum non solum infinitivorum in *-ier* exeuntium et verbi *sum* formarum pleniorum, sed etiam aliarum eiusmodi formationum exempla complura apud Plautum in partibus lyricis locis variis inveniri vidisset, non iniuria p. 83 haec dixisse mihi videtur: „lyricos versus hac in re aliorum versuum fini cretico similes fuisse contendo“. Attamen haec in lyricis versibus exempla neglegere liceat in hac disputatione; satis habeo de iis metris tractare, in quae adhuc viri docti accuratius inquisiverunt, quibus metris solis certum fundamentum strui possit ad hanc totam rem explanandam.

In his igitur versibus iambicis et trochaicis illas formas archaicas et non archaicas eis quos dixi versuum locis solis neque ullis aliis usurpatas esse a veteribus poetis scaenicis Brockium contendere vidimus; nam prae multitudine exemplorum eorum, quae legitimis illis locis legantur, ea quae restent exempla contraria nihil valere. Verum ex his exemplis contrariis cum Brock tantummodo minorem partem emendare ausus sit, maiorem partem emendare aut non potuerit aut ne voluerit quidem, denuo oritur Stangii illa dubitatio, debuerintne omnino re vera corrupta haberi atque emendari omnia illa quae contraria viderentur exempla.

Itaque relinquatur ut quaeratur, utrum adsentiendum sit Stangio qui illas formationes minime pertinere ad certas illorum versuum sedes solas contendit, an potius accedendum sit ad sententiam Brockii, qui eas in aliis atque quas legitimas esse dicit sedibus a poetis scaenicis collocari potuisse omnino negat atque exempla contraria corrigenda putat. Et equidem utrumque partim vera partim falsa proferre mihi persuasi. Nam Stange quod fere omnia illa exempla, quae legi a ceteris viris doctis probatae contraria erant, negat emendanda esse, immo vero servanda dicit, certe recte facit. At nonne vel Stangii ipsius ex definitione, qua illarum formationum usum circumscripterat, apparet eas lege

quadam obstrictas fuisse? Primum enim Stange ipse docet eas non potuisse usurpari alio accentu atque solito praeditas. Tum autem quid sibi vult illud „aut paribus locis“ (cf. supra pag. 8), nisi his verbis dicebatur: locis, qui pariter ante caesuram aut ante diaeresin exstabant? Talium autem ante caesuram aut ante diaeresin locorum credesne quantumlibet numerum fuisse? Ergo nonne iam concedes in illa Stangii definitione, quamquam ipse concedere noluisse videtur, tamen certam quandam legem collocationis illarum formarum latere?

Neque vero Stangii animum percussit, quod illa exempla, quae contraria videbantur, aliis versuum locis non pluribus tribus quattuorve inveniebantur, neque potuit percutere, quia illi duo archaismi, de quibus maxime egit, praesertim apud Terentium solum, talium exemplorum contrariorum numerum ei praebebant minorem quam quo animus satis excitaretur ad dilatandam potius illam legem quam ad refellendam. Sed miror quod ne Brockio quidem, qui multo maiorem numerum illarum formationum collegerat atque etiam ipse legis illius fines aliquantulum dilataverat, cum adderet illum ante caesuram mediam septenariorum trochaicorum locum, in mentem venit quaerere, nonne cetera quae tum contraria existimarentur exempla ipsa quoque re vera non pertinere viderentur nisi ad tres aut quattuor sedes novas sed non minus certas quam quae sedes ad id tempus solae legitimae esse putarentur. Nam Brock quod ea exempla, quae ad eius legem angustiolem non conveniebant, omnia potius corrupta putanda esse quam integra servanda sibi persuaserat, praeiudicata opinione decipiebatur.

Sed qua Brock uti coeperat ratione investigandae legis verae unice recta, eam amplexus tam audacter quam feliciter progressus esse mihi videtur H. Jacobsohn in dissertatione quam inscripsit „Quaestiones Plautinae metricae et grammaticae“ (Goettingae 1904), in qua et ipsa talium verborum copia non exigua collecta praebet, quamquam quod Jacobsohn nisi de archaismis veris non agi in hac re opinari videtur, hanc opinionem falsam esse vel ex Brockii disputatione intellegi debebat. In prima autem disputationis parte Jacobsohn tractat „exempla hiatus et syllabae ancipitis, quae in fabulis Plautinis in quarta arsi senarii et in secunda atque sexta arsi trochaici septenarii inveniuntur“. Quorum exemplorum sibi videbatur satis magnum numerum contulisse, ex quo appareret Plautum illis versuum locis diaeresin aut caesuram admisisse. Eorum autem quae his diaeresibus aut caesuris clauderentur colorum fines, cum in numerum iambicum decurrerent, nonne mirum esset si aliter tractati essent atque ei colorum fines qui exstabant ante diaeresin mediam septenariorum et octonariorum iambicorum aut ante caesuram mediam septenariorum trochaicorum? In his autem colorum finibus illas formationes archaicas atque non archaicas eodem iure usurpatas esse apud omnes poetas scaenicos quo in versuum iambo finitorum finibus ipsis, quis iam tum fuit qui negaret? Ergo si illae versuum sedes, de quibus Jacobsohn egit, non solum ipsae quoque colorum fines habendae erant sed etiam in numerum iambicum decurrebant, sequeretur necesse erat, ut etiam tertia illa colorum in iambum exeuntium proprietate ornatae essent scilicet singularibus illis formationibus archaicis atque non archaicis.

Haec si vera erant, ex iis harum formationum exemplis, quae illi legi ad id tempus contraria videbantur, ea quaecumque in his colorum finibus novissime probatis posita erant, non modo non corrigenda sed etiam sana atque integra servanda esse apparebat. Quae cum ita essent, lex illa non tam diluenda quam amplificanda esse videbatur.

Id quibus archaismorum exemplis Jacobsohn probare conatus sit, videas in disputationis eius cap. II, quod inscripsit „De formis et vocibus obsoletis quae in fabulis Plautinis in quarta arsi senarii et in secunda atque sexta arsi trochaici septenarii deprehenduntur“. Quid autem assecutus sit Jacobsohn, si quis quaesiverit, mihi quidem videtur sine dubitatione accedi posse ad Lindsayi Bursiani Annal. vol. 130 (1906) p. 214 iudicium, cuius verba quantum opus erit liceat afferre. Atque in prima illa censura Lindsay concedit Jacobsohnum plane demonstrasse: „dass in der Diaerese vor der letzten Dipodie eines jambischen Verses (oder des entsprechenden Teiles des trochaeischen Septenars) nicht bloss syllaba anceps, sondern auch Hiatus gestattet ist, z. B. Cas. 549 (A, P) *improbi, edentuli*; Cas. 2 *fidem qui facitis maxumi, et vos fides*. Auch versucht er (jedoch nicht mit gleichem Erfolg) zu zeigen, dass hier ungewöhnliche Formen gerade so gut wie am Ende des Verses geduldet werden, z. B. Pseud. 767 *quod servitutum di danunt lenoniam*“. Atque hanc Jacobsohni sententiam Lindsay non improbat; tantum quod ille ei non satis multa exempla ad sententiam suam confirmandam videtur cogere potuisse. Pergit enim Lindsay: „Bis dahin ist alles in Ordnung“. Sed tum addit: „Doch geht Jacobsohn so weit, dieselbe besondere Behandlung für die 2. Hebung eines trochaeischen Tetrameters zu beanspruchen, z. B. Curc. 192 (P, A n. 1.) *ebriola, persolla, nugae*; Stich. 374 (A, P) *argenti aurique advezit*“. Quod autem ad hiatus syllabaeque ancipitis et hoc loco et ceteris versuum locis usum attinet, Jacobsohni sententiam totam amplexus est eamque novis argumentis probare studuit Paul Friedländer in disputatiuncula, quae inscripta est „Zum plautinischen Hiatus“ (Mus. Rhenan. vol. 62 (1907) p. 73-85); neque vero meum est hoc loco de eius argumentatione iudicium proferre. Sed quod attinet ad comprobandum illum vocum et archaicarum et non archaicarum ante secundam thesin septenarii trochaici usum, quem iam a Muellero in supplemento Plautin. prosod. (1871) p. 83 indicatum esse obiter memoro, equidem me numerum exemplorum satis augere posse existimo, ut de hoc usu non iam possit dubitari. Sententiam quoque, quam Jacobsohn de loco ante ultimam dipodiam iambicam protulit, confirmatum iri opera mea confido.

Verum si ante secundam thesin septenariorum trochaicorum legitimum illarum formationum locum exstare iam videtur concedendum esse, quis dubitabit, quin ita ut diaeresis media in septenariis et octonariis iambicis non secus tractabatur atque caesura media in septenariis trochaicis, pariter etiam ante tertiam thesin septenariorum octonariorumque iambicorum locus fuerit, quo si non a principio at certe per analogiam illae formationes collocarentur? Atque etiam ante tertiam thesin senariorum iambicorum si poetae scaenici illas formas archaicas et non archaicas saepius adhibere non veriti sunt, quis fieri potuisse omnino negabit, ut hoc loco poetae simili quadam analogia uterentur?

Has vero versuum sedes, scilicet ante secundam thesin septenariorum trochaeorum atque ante tertiam thesin octonariorum et septenariorum et fortasse etiam senariorum iambicorum, inter se niti neque aliam ab alia separandas esse cognosci posse existimo vel ex hoc metrico conspectu:

— ◡ — | ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —
 ◡ — ◡ — | ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —
 ◡ — ◡ — | ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —
 ◡ — ◡ — | ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —

Denique etiam alium talem locum legitimum ante tertiam thesin septenarii trochaici observari contendo:

— ◡ — ◡ — | ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ —

Quodsi quis quaerat num isdem his versuum locis omnibus ceterae quoque diaereseos caesurae proprietates scilicet syllaba anceps et hiatus occurrant sive apud omnes veteres poetas scaenicos sive apud Plautum aut Terentium solos, equidem de his rebus recte iudicari non posse opinor nisi de illis tribus proprietatibus universis agere licebit; nunc autem satis habeo de una earum scilicet de illis formis archaicis et non archaicis tractare.

Illae vero versuum sedes si omnes legitimae putabuntur, ad quam paucitatem numerus illorum quae adhuc contraria videbantur exemplorum reducatur, ipse infra videbis. Sed ut haec quae contendi omnia ad oculos demonstrarem, in animo mihi est tabulas duas constituere, quarum in altera quam plurimos illorum archaismorum qui dicuntur sub unum conspectum conferam; altera tabula continebit complures formas, quae aut certo archaismi non sunt aut sintne necne in ambiguo est. Atque has tabulas ita instituum, ut ex iis patefiat, quibus quaeque forma locis illorum legitimorum collocata sit atque num quo alio versuum loco inveniatur. Tot enim in utraque tabula discernam capita, quot distincti genera locorum legitimorum. Atque addam alia capita duo, quorum in posteriore afferam ea exempla, quae in aliis versibus scilicet lyricis occurrunt; caput praecedens continebit ea exempla, quae cum in iis de quibus agitur versibus sed non legitimis illis locis exstant, nunc quidem sola exempla contraria videntur dicenda esse. Haec autem exempla, quae restant, ipsa postea denuo in tabellam peculiarem cogam atque tum demum re vera apparebit, num quis alius quoque locus legitimus putandus sit necne.

Interim liceat mihi ex his exemplis contrariis ea, quae corrupta esse vel aliis ex argumentis cognoscatur, iam in tabularum priorum adnotationibus, si per spatium fieri poterit, coniecturis aut alienis aut meis emendare conari; ubi id fieri non poterit, appendicis adiumento utar.

Atque ad ea exempla, quae in primo quoque capite priorum tabularum duarum erunt, discrepantias librorum manu scriptorum accuratissime adscribere supersedebo propterea quod id in his quidem exemplis minime opus esse censeo*).

*) Editiones quibus usus sum hae sunt: Plauti com. ed. Leo; Terentii com. ed. Tyrrell; Scaenic. Roman. poes. frgm. ed. Ribbeck. Praeterea adhibui in Ennii fragmentis non scaenicis Vahleni editionem secundam, in satiris Lucilianis editionem quam Marx publici iuris fecit. Catonis de agricultura libri usurpavi editionem Keilii atque ceterarum reliquiarum editionem Jordani.

Omnium autem quas collatas exhibebo, vocum et archaicarum et non archaicarum quamquam maiorem partem ex Brockii et Jacobsohnii opusculis excerptare potui, tamen summo mihi usui fuerunt ad totum congestum meum examinandum hae commentationes quattuor, quos A. W. Hodgman conscripsit: 1) On noun declension in Plautus (The Classical Review vol. XVI (1902) p. 294—305); 2) Ajectival forms in Plautus (ibidem p. 446—452); 3) Adverbial forms in Plautus (ibidem vol. XVII (1903) p. 296—303); 4) Verb forms in Plautus (The Classical Quarterly vol. I (1907) p. 42—52 et p. 97—134).

Nunc perlustres velim hanc quam affero archaismorum tabulam, in qua exempla poetarum singulorum secernere me studuisse videbis, id quod ne in insequentibus quidem tabula scilicet vocum aut certo aut probabiliter non archaicarum neglegam.

Tabula I.

	I) in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diaeresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram ante mediam septen. troch.	III) ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem ver- suum locis aliis	IX) in aliis versibus, scilicet lyricis
1) <i>populus</i>	Plant. Am. pr. 101, 259, As. pr. 4, Au. 285, Cas. 536, Mo. 15, Fe. 408, Ps. 126, Ru. 1251.	Am. 190 (Pa- reus corr.), As. 655.	St. 490 (Bothe corr.).						Mo. 124, Poe. 227 (Bothe corr.), Pa. 129 (Ritschl corr.).
2) <i>dextera</i>	Plant. As. 260, Au. 116, Mi. 607, Poe. 315, 417, 711, Ru. 156. Ter. An. 734, 751, Eu. 775. Acc. praes. 36 (sed cf. Ribbeckii adm.).	Mer. 149 (Sa- racenus corr.); in synaloe- pue)	Cap. 442, Cu. 307 (I, dex- teram I, dex- tram (r ex e) tram BDE; in B, dextram E), s.), Mi. 204. Men 1:8 (corr.: 205 (in s). Camerar.) An. 289 (? cf adm.; in s). trg 653 (Euech. corr.; in s).			Am. 923 (B) Cap. 442, Cu. -tram.)	Cap. 442, Cu. 339 (dextram BE).		
3) <i>sinisterra</i>	Plant. Mer. 879, Ter. Eu. 835 (codd. <i>sinistram</i>)								
4) <i>gnarurris</i>	Plant. Poe. pr. 47.								Mc. 100.
5) <i>ancipes</i> <i>praecipes</i>	Plant. Commor. frgm. I	Cas. 931 (Sey- fert corr.).	Plant. Ru. 1158						
6) <i>arbitrami- no</i> <i>opperimim- no</i> <i>progrell- mino</i>	Plant. Ep. 695. Plant. Ps. 859.	Plant. Tru. 197.							Ru. 671.

Adnotationes ad singula primae tabulae capita.

1) cf. Jacobsohn l. c. p. 18; Lindsay: The Latin Language (Oxford 1894) Chap. II § 154; Stolz-Schmalz: Lat. Gram.³ p. 52; Hodgman: Class. Rev. XVI (1902) p. 303, ubi adnotatur: „*populus* and its cases occurs 45 times“ scilicet apud Plautum. Apud ceteros poetas scaenicos, apud Ennium, apud Lucilium, apud Catonem saepe legitur *populus*, *populus* nusquam.

2) cf. Hodgman: Class. Rev. XVII (1902) p. 451; Engelbrecht: Stud. Terent. p. 25.

Aliis versuum locis exstat *dextera* apud Plaut.: Mer. 965, Paras. Pig. frgm. II, apud Ter.: Hau. 493 (*dextera* G), 732 (*dextera* EP), Ad. 583 (*dextera* DEG), apud ceteros poetas scaenicos: Acc. trg. 687, inc. inc. fab. 28, Afr. com. 328, Lab. com. 155 (?), apud Lucilium: sat. IV, 157, (sat. XXVI, 661 in versu corrupto), apud Ennium: Ann. 414; Cato scribit *dextera* his locis: de agricult. 18, 2; 21, 2 (bis); [21, 3 del. Keil.] 160; 161, 1; rell. 35, 12; 82, 6.

Ter. An. 289 in codicibus omnibus praeter CP, qui *oro* omittunt, sic traditur:
quod ego te per hanc dextera oro et ingenium tuom.

Donatus *genium* praebet. Et Brugmann (cf. Neue Jahrb. für Philol. vol. 113 (1876) p. 420-21), quamquam ordinem verborum *quod hanc per ego te*, quem ordinem Spengel commendaverat, probat, tamen ab eo hoc dissentit, quod scribere vult *dextram oro et genium tuom*. Atque dubium videri potest, utrum Brugmanno adsentiendum sit an Spengelio, qui *dextram et genium tuom* legit, id quod Brugmannum ipsum non bene refutasse ex tabula mea intellegi posse existimo. At Kauer mihi videtur recte monuisse *ingenium* in *genium* facilius pessumdari potuisse quam *genium* in *ingenium*. Itaque et hoc loco Terentiano et Plaut. Capt. 977 servandum esse censeo *ingenium* verbum codicibus omnibus confirmatum, quod verbum si per „gutes Herz“, „edles Gemüt“ (cf. Capt. 350) converteris, utriusque loco multo melius convenire te concessurum esse confido quam tritum illud *genium*. In priore autem huius Terentiani versus parte Spengeli (et Brugmanni) traiectionem verborum duplicem suo iure evitare studuisse mihi videtur Dziatzko, cum scriberet *quod per ego te hanc*, quamquam eum reliquam versus partem *nunc* vocula ex Eugraphii commentario assumpta minus feliciter formasse existimo hoc modo [*nunc*] *dextram oro et genium tuom*. Atque quod attinet maxime ad priorem versus partem, equidem probare possum ne Kaempffii quidem sententiam (cf. De pronominum personalium usu et collocatione apud poetas scaenicos Romanorum. Diss. Berlin 1885; pag. 7), qui vir doctissimus sequitur Ussingium scribentem *quod ego per hanc te dextram oro* sqq. Ad quam sententiam accedere non possum maxime propterea, quod *ego te* pronomina divelli multo gravius esse credo quam *ego* aut *te* aut *ego te* separari a relativo; praeterea *ego te* pronomina ut post *per* praepositionem collocentur, postulatur non solum lege illa in *per* praepositione usitata, sed accedit ut *ego te* pronomina ad *hanc* pronomem attrahantur. Itaque in priore versus parte cum Dziatzkone *quod per ego te hanc* scribendum atque in extremo versu *oro et ingenium tuom* servandum esse censeo; tum vero propter metrum fieri non potest, quin *dextram pro dextera* scribatur. Totum igitur versum adhibitis remediis non pluribus duobus eisque lenissimis, ut credo, scil. *per* praepositione transposita et *dextram* forma in *dextram* correctam, hoc modo restituere velim:

quod per ego te hanc dextera oro et ingenium tuom.

Plaut. Am. 333, ubi codices omnes *dextera* exhibent, *dextra* scribatur, metri causa necesse est.

3) cf. Hodgman: Class. Rev. XVI (1902) p. 451; Engelbrecht l. c. p. 25.

Hodgman adnotat: „Plautus prefers *laevos* (17 times).“

Aliis versuum locis legitur *sinistra* aut *sinistrum* Plaut. Ep. 182, Ps. 762 et Ter. Eu. 775, Ad. 582. Cato habet formam *sinistra* in libro de agric. 18, 2; 21, 2 (bis); [21, 3 del. Keil.] 160; 161, 1.

4) cf. Jacobsohn l. c. p. 25.

5) cf. Jacobsohn l. c. p. 20.— *praiceps* legitur Cato de agric. 38, 3.

6) cf. Lindsay l. c. Chap. VIII § 60; Neue: Lat. Form. III³ p. 211/12.
Cato de agric. 141, 2: *praefamino* in formula religiosa.

	I) in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diaeresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesura- ram mediam septen. troch.	III) ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem ver- suum locis aliis	IX) in aliis versibus, soliect lyricis
7) infinitivi praesentis passivi exempla, quae col- legit L. Lange. 8) <i>averruncas-</i> <i>seve</i> <i>impetras-</i> <i>seve</i> <i>oppugnas-</i> <i>seve</i> <i>reconcillas-</i> <i>seve</i>	apud Plautum 168 As. 387, 687, Ep. 40, Mil. 881, Mo. 177 (Bentley corr.), Ru. 367. He. 827. apud Terentium 37 exempla, quae af- ferunt et L. Lange et E. Stange. apud ceteros vete- res poetas scaeni- cos 22 exempla, quae collegit Lange. Pac. trg. 236. Plant. Au. 687, Cas. 271; Mi. 1128, St. 71. Plant. Am. 210. Plant. Cap. 168.	As. 387, 687, Ep. 40, Mil. 881, Mo. 177 (Bentley corr.), Ru. 367. He. 827.	ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.		Ad. 535.			An. 500 (cf. adn.), 689 (cf. adn.).	Cas. 220, 723 (A), Men. 1005, Mi. 1073 (Leo: -ri).
9) perfecti in -v <i>eris</i> exentis formae: <i>-averam.</i> <i>-erim,</i> <i>-ero</i>	apud Plautum 68 exempla, quae Brock p. 135 colle- git; addas Cas. 781, Cu. 268, Colax frgm. III (Brock p. 136/37). Ter. An. 664, 673, Ph. 516, 914, 975, He. 235, Ad. 843.	As. 561, Ru. 401.				Mo. 1007.	Mi. 263.		

<i>-everis,</i> <i>-erit</i>	Caec. com. 162. Turp. com. 197. Tit. com. 120. Afr. com. 72. Nov. atell. 44.								
<i>noverim,</i> <i>-ero</i>	Plant. Am. 1016, Tri. 530.		Ps. 100.			Ter. Ph. 564. Mer. 311.			
<i>noverim,</i> <i>-eris,</i> <i>-eram,</i> <i>-ero</i>	Plant. Mo. 332, Tri. 784. Ter. An. 640, He. 694. Plant. Ba. 578, Cap. 459, 510, 542, Cu. 341, 493, Ep. 550, Men. 299, 498, 504, Mi. 575, Fe. 261, Poe. 744, 877, 1117, 1335, 1384, Ps. 973, Ru. 730. Ter. An. 10, Hau. 153, Ph. 390, He. 155, 439, Ad. 573. Enn. frgm. 133.	Mi. 923, Tri. As. 344, Cu. 913, Tru. 164, 391 (in s.), 165 (in s.). Eu. 778 (in s.).			Mi. 925.			Tri. 952 (cf. adn.). Ru. 955 (msa.; cf. Brock p. 113; Leo -noras).	
<i>4(v)erim,</i> <i>-eram,</i> <i>-ero</i>	Plant. Am. pr. 74, 748, Ba. 358, 359, 800, Cap. 251, 293, Cas. 575, Ci. 102, Ep. 195, 310, 593, Mer. 323, 941, 1003, Mi. 572, Mo. 542, 881, Pe. 219, Poe. 1188, 908, Ps. 830, Ru. 716, St. 77, Tri. 145, 538. Ter. An. 494, Hau. 718, Ph. 573, He. 567, 813, Ad. 27. Naev. com. 96. Caec. com. 96. Acc. praetext. 40.	Ru. 330, Mi. 1265.				Mi. 568 (in s.).			

7) cf. L. Lange l. c.; E. Stange l. c. p. 15—21; A. Brock l. c. p. 82/83; Jacobsohn l. c. p. 9; Engelbrecht l. c. p. 66/67; Miodonskio: Archiv für lat. Lexikogr. vol. VII (1890) p. 132; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 105.

Lucilius ter tales formas habet his locis: sat. XXVI, 610, 658, frgm. inc. 937, omnes in versuum finibus iambicis. Apud solutae orationis scriptores antiquos tales formae nullae exstant nisi *peragier*: Cato rell. 27, 2; *arbitrariar*: Cass. Hem. apud Plin. in N. H. XIII, 13, 86; *ducier*: Scipio Africanus minor apud Macrob. II, 10 (cf. Meyer-Dübner: Orat. Rom. frgm. p. 214).

De infinitivorum in *-i* exeuntium apud scriptores antiquos usu refert Lange p. 7/8.

Plaut. Poen. 742 deest A, *egredier* forma, quae in versus colive finem iambicum non convenit, B, *egredietur* CD; hoc loco Brixium (cf. adn. ad Mil. 751) *egrediri* formam et necessario et bene restituisse mihi cum Leone persuasum est.

Ter. An. 500 (deest A; *adsimularier* BCDEGP) nisi *adsimulari* forma restitueretur, forma archaica non solito numero iambico decurreret. Ter. An. 689 (deest A, *solicitari* BCDEGP et Donatus) ut *solicitari* forma restituatur, metrum postulat. Utroque loco codicem A formam rectam praebuisse conicias, si compares Hec. 573, ubi traditur *noscer* in BCDEFP, forma recta *nosci* in codice A solo. Talium corruptelarum origo nulla alia ratione explicari posse mihi videtur nisi qua eam explicare conatus est Dziatzko ad Ter. Ad. 611; dicit enim: „Es lässt sich beobachten, dass die Schreiber der Terenzcodices öfters durch die gewähltere Form sich den Text, wie sie meinten, verbesserten.“ Sed haec explicatio certe ad Plauti quoque exempla similia referenda est.

Ter. Ad. 535 vero quicumque *laudariar* formam mutare voluerunt, eos erravisse atque Stangium illam formam, quamvis non iusta argumentatione uteretur, tamen iure studuisse defendere tabula mea confirmari videtur.

8) cf. Sjoegren: Zum Gebrauch des Futurums im alten Latein. Upsala 1906 (Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala) IX, 5 et Lindsay: Bursiani annal. 1906 p. 251/52; Neue: Lat. Form. III⁹ p. 509; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 106.

Apud Lucilium tales infinitivi futuri activi formae archaicae tres inveniuntur sat. XXVI 682/83:

*depoclassere aliqua sperans me ac deargentassere,
decalanticare, eburno speculo despeculassere.*

Quibus ex formis tribus nullam loco non legitimo stare vides.

9) cf. Brix ad Plaut. Mil. 328 (adn. crit.); Dziatzko ad Ter. Ad. 55 (1881); Conradt Hermes X (1876) p. 104—106; Brock l. c. p. 75—167, ubi contractarum quoque formarum loci congesti praebentur, quos hic afferre longum est; Jacobsohn l. c. p. 9.

Apud Lucilium formarum pleniorum haec exempla exstant, quae omnia in fine versuum leguntur: *cognoveris* sat. XXIX, 811, quem versum Brock (p. 114) primus recte mihi videtur distribuisse; *aspiraverint* sat. XXIX, 842; *(re)pos[is]veram* sat. inc. 934.

De usu Catonis cf. Brock l. c. p. 169/70, ubi formarum pleniorum exempla 59, contractarum 13 numerantur; de usu inscriptionum orationis solutae cf. Brock l. c. p. 167—169.

Plaut. Trin. 952 codicibus falso tradi formam pleniorum *noverisne* Guyet primus intellexit; ut *norisne* (vel *norin*) restituatur, metrum flagitat.

De Plaut. Mil. 263 Brock l. c. p. 135 haec verba facit:

participaverit de amica eri, sese vidisse eam

sic recte A; cet. codd. *particaverit*. Quamquam potest *participaverit* in finem versus antecedentis reici; tamen facere non audeo. Hoc ne oportere quidem ex tabula mea videtur cognosci posse. Item quod Conradt l. c. Terentii versus Ph. 584, Eun. 778, Haut. 618 corruptos ratur emendare conatus est, eum hoc non debuisse ex tabula mea apparere censeo.

Retinendum est iudicium de formis, quae exstant his locis Plautinis valde corruptis: Mil. 926 (Brock p. 155), Pe. 78 (cf. Brock p. 98 sqq.), Pseud. 549 et 1116 (Brock p. 155). Praeterea Brock p. 137 affert complures versus, in quos eiusmodi formae coniecturis virorum doctorum illatae sunt; quas coniecturas ad unam omnes neglegendas esse censeo.

	I)	II)	III)	IV)	V)	VI)	VII)	VIII)	IX)
	in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	ante diaeresin medium septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram medium septen. troch.	ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	ante II. thesin septen. troch.	ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	ante III. thesin sen. iamb.	ante III. thesin septen. troch.	corundem ver- suum locis illis	in aliis versibus, sicut <i>lytris</i>
10) formae III. pers plur ind. peif. act. quae in -erant cor- rupta e littera exeunt: <i>devisar- runt</i> <i>fabulavere</i> <i>locaverunt</i> <i>travolavē- runt</i> <i>complevē- runt</i> <i>audivere</i> <i>meruerunt</i> <i>subegerunt</i> <i>emerunt</i> <i>fecerunt</i> <i>occeperunt</i> <i>redierunt</i>	Plant. Ru. 168 (-arunt B; -averunt Leo secutus Pyla- dem) Afr com. 147 (Bothe et Ribbeck <i>fabu- lavere</i> ; Neukirch <i>fabulaverit</i> . Plaut. Pe. 160. Naev. com. 136. Plant. Mo. 281. Plant. Ba. 928. Ter. Eu. pr. 20. Plant. Tru. 468.	ante diaeresin medium septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram medium septen. troch.	ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	ante II. thesin septen. troch.	ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	ante III. thesin sen. iamb.	ante III. thesin septen. troch.	Plant. Ep. 35.	
11) <i>blatis</i>			Plant. Ep. 236 (A. <i>occeperē</i> B; VE; in s.). Plant. Cap. 86.						
12) <i>antidat</i>			Plant. Tri. 546 (Diomedes <i>antidat</i>).						

	I) in finibus seu, iamb. aut octon. iamb. aut septem. troch.	II) ante diaeresin mediam septon. vel octon. iamb. aut ante caesuram mediam septon. troch.	III) ante ultimam dipodiam iamb. hicam in son. iamb. aut octon. iamb. troch.	IV) ante ill. thesin septem. troch.	V) ante ill. thesin septem. vel octon. iamb.	VI) ante ill. thesin septem. troch.	VII) ante ill. thesin septem. troch.	VIII) eorundem ver- suum locis aliis	IX) in aliis versibus scilicet lyricis
13) <i>daunt</i>	Plant. Cap. 819, Cu. 126, Mer. 226 (corr. Pylades), Mo. 129, 561, Pe. 852, Ps. 770, Ru. 594, 1229 (Patens; sed cf. Leonis adm.), Caec. com. 176, Pae. trg. 207.	Tru. 181 (P; versum ditto- graphiam esse Leo dicit)	Ps. 767 (in scena suspecta).					Pe. 256 (cf. adm.).	
14) aliae verbi <i>dare</i> com- positorum- que formae inuitatae: <i>interduo</i>	Plant. frgm. inc. II.		Cap. 694 (Brix corr.; mss. <i>interduo</i> ; Leo <i>intererit</i>).						
<i>concreduo</i>	Plant. Au. 585.								
<i>duas</i>	Plant. Au. 238.			Mer. 401 (C; <i>ne tuas</i> B; ce- terum cf. Leo, qui ipse <i>duas</i> legit).					
<i>induas</i>	Plant. Cas. 113.								
<i>creduam</i>	Plant. Poe. 747.								
<i>creduas</i>	Plant. Ba. 476, Tri. 606.								
<i>creduat</i>	Ter. Ph. 993 (Fa- erni coni.).								
<i>accreduas</i>	Plant. Ba. 504, 847, Plant. As. 854.								

<i>duim, -is, -it, -it</i>	Plant. Am. pr. 72, Au. 62, Cap. 331, 947, Men. 267, Mo. 655, Tri. 436, Vidul. 51, 52, 85, Ter. An. 686, Ph. 519, 713, 976, 1005. Pac. trg. 2. 9/20.	As. 460.	Au. 672 (<i>dui</i> VE; <i>duim</i> cet. mss.; <i>duim</i> corr. Came- rar.).					Ru. 1368 (<i>duis</i> CD; ceterum cf. adm.).	Pg. 9. 1 (A. n. 1; <i>duim</i> P; <i>duim</i> corr. Pius).
<i>adduim</i>	Plant. Au. frgm. V								Cas. 642 (A. n. 1; <i>perduim</i> VE).
<i>interduim</i>	Plant. Ru. 580, Tr. 994								
<i>perduim, -is, -it, -it</i>	Plant. Am. 845, Au. 772, 785, Cu. 720, Ep. 66, Men. 308 930, Mer. 710, 793, Mo. 667, Poe. 610, 863, 884, St. 585, Tru. 331. Ter. Hau. 811, Ph. 123, He. 441. Turp. com. 102.	As. 467 (<i>per- duim</i> B; <i>per- duim</i> E), Men. 451 (<i>perduim</i> B'D; <i>perduim</i> -A).	Cap. 728 Poe. 739.						
<i>creduis, -it</i>	Plant. Cap. 605, Tru. 307.		Am. 672 (<i>cre- duis</i> P'E; ce- terum cf. adm.)						
15) <i>coepio</i>	Plant. Men. 960.								
<i>coepiam</i> (coni. pr.)	Caec. com. 90.								
<i>coepiat</i>	Plant. Tru. 234.								
<i>coepere</i>	Ter. Ad. 387.								
16) <i>tuor</i>	Pac. trg. 6.								
<i>contuor</i>	Plant. Pe. 208.	As. 403.							
<i>contut</i> (inf.)	Plant. As. 124, 523, Mo. 838.							Pompon. com. 69 (ante IV. thesin octon. iamb.; cf. adm.).	Enn. trg. 342.

	I) in finibus sen. iamb. aut septem. troch.	II) ante diacresin mediam septem. vel octon. iamb. aut ante caesura ram mediam septem. troch.	III) ante ultimam di- pothiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septem. troch.	IV) ante II. thesin septem. troch.	V) ante III. thesin septem. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septem. troch.	VIII) aeorundem ver- sum locis alijs	IX) in alijs versibus, scilicet lyricis
<i>intuor</i> <i>intui</i> (inf.)	Plant. Mo. 836. Turp. com. 159.			Acc. trg. 614 (ante II. thesin octon. troch.; cf. adn.)					
<i>obtui</i> (inf.)	Acc. trg. 285, 319.								
17) <i>conspicor</i>	Plant. Am. 1070. Au. 388, Ba. 181, 279, 669, Ep. 435, Men. 522, 1132, Mer. 109, 256, Ru. 1202.	Ep. 345, Ru. Ci. 656 (<i>con- spicior</i> B'), Ep. 184/85 (versus cor- ruptus, cf. Leo). Ter. Eu. 1062.							Ep. 4, Ru. 214.
<i>conspicer</i>	Plant. Vidul. 68. Ter. Hau. 68.								
18) <i>tago</i> <i>tagit</i> <i>tagam</i> <i>attigas</i>	Pac. trg. 344. Pac. trg. 165.			Plant. Ba. 445 (Nonius 75; <i>adtingasms</i>), Ep. 723 <i>at- tigas</i> BE; <i>at- tigas</i> I; A. n. l.), Tru. 276 (<i>at- tinga</i> [s] A; <i>attigas</i> P).					Plant. Mi. 1092 (cf. adn.) Pe. 816 (<i>at- tingas</i> BD).
<i>attigat</i>	Ter. An. 789. Turp. com. 106. Acc. trg. 304. Pac. trg. 228.								

19) <i>tulat</i> <i>attulas</i> <i>attolat</i> <i>protolo</i>	Nov. com. 87. Pac. trg. 42.	trg. 238. Plant. Cas. 447 (Jacobsohn coni.; cf. adn.)							Acc. trg. 102 (cf. adn.)
20) <i>advenat</i> <i>convenam</i>	Plant. Ps. 1030.								
<i>convenas</i> <i>convenat</i> <i>evenunt</i>	Plant. Mi. 139 (Ca- merar. corr.).	Plant. Ba. 348 (Bothe corr.). Plant. Tri. 583 (Actual. corr.). Plant. Cu. 127 (Fleckeisen corr.).	Plant. Cu. 127 (Fleckeisen corr.).	Plant. Cu. 454 (Hodg- man propo- suit). Ba. 144 (Bothe corr.), Cu. 271 (corr. Fleck- eisen; ceterum cf. Leonis adn.), Mo. 58 (Bothe corr.). Plant. Mo. 395 (Bothe corr.), Pe. 629 (Leo corr.).					
<i>evenat</i> <i>evenant</i>	Plant. Cu. 39, Ep. 290 (Bothe corr.), Mi. 1010 (Ritschl corr.), Tri. 41 (Pareus corr.). Pompon. com. 35 (Ribbeck corr.). Kan. trg. 170.								
<i>pervenat</i> <i>pervenant</i>	Plant. Ra. 626 (Guyet corr.). Plant. Tri. 93 (Pareus corr.).								Ep. 321 (Bothe corr.).

10) cf. Brock l. c.; Neue: Lat. Form. III² p. 198/99; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 49. Praeter formas supra collectas apud Plautum inveniuntur *dēdērunt*: Poen. 223 in baccheis et *fūcērunt*: Ba. 1087 in anapaestis. De Plaut. Ba. 668 recte disputasse mihi videtur Leo in adnotatione, in qua nihil nisi *exidērunt* hoc loco ferri demonstrat. Ultimum denique eiusmodi exemplum, quod apud Plautum restat, est Poen. pr. 21, ad quem versus Leo haec dicit: „perfecti, e' correpta praeter versus colive finem tantum hic“; versus cum in prologo variis recensionibus retractato exstet, spurius est.

Praeterea notari potest *evallāvērunt* Varro sat. Men. 109 (Buech.) in fine senarii iambici; *aditavere* Enn. trg. 394 num e littera correpta pronuntiandum sit, disceptari non potest.

11) cf. Brock l. c. p. 90/91.

12) Praeterea huius verbi formae non inveniuntur nisi *antideo*: Plaut. Ba. 1088, Cas. 225, Cist. 205, Pe. 778 in anapaestis et *antidibo*: Plaut. Pseud. 933 in creticis.

13) cf. Brock l. c. p. 88; Jacobsohn l. c. p. 14.

De Plaut. Pe. 256 verba Jacobsohni afferre liceat, qui dicit: „initio versus“ (scil. octonarii iambici) „verbum“ (scil. *danunt*) „exstat, sed quia antea solus Juppiter commemoratur, non caret offensio pluralis *danunt*. Bothius mutavit in *dat nunc*.“ Quod non improbandum esse censeo.

14) cf. Brix ad Plaut. Truc. 436 et 606; Lorenz ad Plaut. Most. 640; Spengel ad Ter. An. 666; Brock l. c. p. 87/88; Jacobsohn l. c. p. 13; Engelbrecht l. c. p. 53/54; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 50 et p. 99; F. Solmsen: Studien zur lat. Lantgeschichte (Strassburg 1894) p. 133/34, qui vir doctissimus formas *credum* etc. et *creduim* etc. formationes novas esse contendit.

Hic afferri potest etiam *concredui* perfecti forma, quae Plaut. Cas. 479 ante III. thesin senarii iambici exstat.

Plaut. Rud. 1368 Jacobsohn verbis transpositis hanc versus formam proposuit: *ne duis ob eam condono te*; sed Luchsium, quod mutare non ausus est Studem. Stud. I p. 22, recte fecisse ex tabula mea mihi videtur satis certo intellegi posse.

Ter. Hec. 134

at te di deaque perduint cum isto odio, Laches

pro *perduint* aut *perdant* aut *favint* scribatur, metri causa necesse esse vix quemquam negare puto.

Ad Plaut. Amph. 672 cf. Vahlen: Kritische Bemerkungen zur Verstechnik des Plautus (Sitzber. der Kgl. Preuss. Akad. der Wiss.; Berlin 25. Juli 1907), ubi defenditur tradita versus forma hypermetrica, quae vocatur.

15) cf. Dziatzko ad Ter. Ad. 106; Engelbrecht l. c. p. 44.

Apud Catonem legitur orat. frgm. inc. 73,15 futuri forma *coepiam*.

16) cf. Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 114/15; Leo ad Plaut. Ba. 668.

Id quod Leo dicit, mihi quoque persuasum est, scilicet: „Plautum trisyllabis *contui intior* in fine versus colive uti.“ Attamen aliorum poetarum scaenicorum testimonia duo obstare videri concedendum est: primum enim Accius trg. 614 *intui* ante II. thesin octonarii trochaici adhibuit; sed hac in re poetam per analogiam secutum esse verisimile est usum eorum exemplorum, in quibus ante II. thesin septenarii trochaici legitimum archaismorum locum exstare agnoscendum esse videtur ex capite IV. tabulae meae. Deinde *contui* Pompon. com. 69 ante IV. thesin octonarii iambici legitur; sed nonne in hoc quoque versu poetam sequi potuisse putabimus usum talium qualia legitima videntur exemplorum, scilicet illorum in tabulae columnam VII. collectorum?

De formis autem iis, quae i littera brevi pro e longa pronuntianda sunt neque tamen in versuum colorumve fines iambicos conveniunt velut *intuitur* Ter. Haut. 403, re vera aliter videtur indicandum esse, sive Leo recte sive iniuria apud Plautum legit *intuetur* Capt. 557 atque *optuere* Ba. 668 et Most. 69. Nihil dubitatur de his formis Plautinis: *intueor* Rud. 449, *intuetur* Truc. 599, *intuentur* Ba. 1130, *optuere* Most. 837, *obtuetur* Mil. 1271, *optuerier* Amph. 900 et Most. 840; accedunt apud ceteros poetas scaenicos: *tueor* Enn. trg. 335 (et Annal. 463), *tueri* Acc. trg. 538, *contueri* Acc. praet. 26, *contuentur* Pac. trg. 410; apud Lucilium *tueri* sat. XXVI, 611.

17) cf. Brock l. c. p. 91.

Aliae huius verbi formae praeter eas, quas supra congessi, apud veteres poetas scaenicos nullae inveniuntur nisi hae, quae in versuum colorumve fines iambicos non conveniunt: *conspicari* Plaut. Ep. 69 et Most. 838, *conspicetur* Plaut. Poen. 605, *conspicatus* Plaut. Amph. 1111, Curc. 595; Merc. 194, Most. 353, Pseud. 981.

18) cf. Lorenz ad Most. 453 (Engelbrecht l. c. p. 46; Jacobsohn l. c. p. 12; Lindsay l. c. Chapt. VIII § 4; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 101.

Forma in iambum non exiens legitur Plaut. Most. 468

apscedite. # aedes ne attigatis. tangite.

Atque dubito, an *ne attigas* et *ne attigatis* cotidiani sermonis formulae existimandae sint.

De Plaut. Mil. 1092, ubi septenarius anapaesticus postulatur, Jacobsohn haec disserit: „Omnes qui his annis Plautum ediderunt, praeter Ussingium et Leonem (item Lindsay 534) *remorare abeo. # Neque te remoror neque te tago neque te taceo*

*scripserunt. Traditum neque et ago B, neque te tango CD. Hermannus correxit in neque tango; Leo autem iure (cf. adnot.) tago solum Pacuvium decere contendit, invenitur tago frgm. 165, 344, ubi exstat in fine versus, ergo ad Plautinos anapaestos non quadrat. Hanc formam ad Plautinos anapaestos non quadrare mihi videtur minime apparere ex illa argumentandi ratione. Nam primum locis illis Pacuvianis, cum ultima verbi syllaba anceps esse possit, de verbi prosodia nihil explanatur. Deinde etiamsi tago formam primitus nullo alio nisi hoc modo — metiri licebat, tamen nonne in anapaestis quoque valuerit correptio iambica quaerendum videtur. Atque si hoc concesseris, ut Leonis quoque verba refellantur, iam memineras in tabula mea complures esse archaismos, quorum exempla plura exstant in aliorum poetarum fragmentis quam apud Plautum, nonnullae quidem formae apud Plautum non leguntur, leguntur apud ceteros poetas scaenicos. Accedit quod ea, quae in traditis Plauti fabulis fragmentisque non inveniuntur, tamen in fabulis perditis exstare potuerunt. Itaque si quas formas archaicas apud ceteros poetas scaenicos legimus, non legimus apud Plautum, hoc potius casu fortuitoque accidisse concedendum esse videtur quam ex vera poetarum scaenicorum in hac re discrepantia: hi archaismi omnes ab omnibus veteribus Romanorum poetis scaenicis aut adhibiti sunt aut adhiberi potuerunt, tantum quod posteriores eos magis magisque evitare studuerunt. Ergo nihil obstat, quin tago forma apud Plautum quoque exstare potuisse putetur. Atque si hoc conceditur, non iam potest negari hanc formam archaicam etiam in anapaestis Plautinis inveniri potuisse; nam ex tabula mea satis multa exempla colligere potes archaismorum in anapaestis collocatorum velut infinitivos in *-ier* exeuntes Plaut. Ba. 1170, Cas. 220, 723, Mil. 1073, *duint* Plaut. Pseud. 936, *antideo* Plaut. Ba. 1088, Cas. 225, Cist. 205, Pe. 778 aliaque similia.*

19) cf. Lorenz ad Plaut. Most. 453; Engelbrecht l. c. p. 46; Jacobsohn l. c. p. 15; Lindsay l. c. Chapt. VIII § 4; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 101.

Diomedes p. 380, 19 ex Plauti Rudente verba *auilas abstulas* affert.

De Plaut. Cas. 447 non possum non accedere ad sententiam Jacobsohni, qui in hoc versu ante ultimam dipodiam potius *protolo* quam *protollo* scribendum esse conatur demonstrare.

Accii versus trg. 102 mihi videtur incertius traditus esse quam ex quo ullum argumentum petatur ad refutandam sententiam meam eorumque, qui tales huius verbi formas apud veteres poetas scaenicos exstare non potuisse nisi in finibus aut versuum aut colorum in iambum exeuntem contendunt. Si vero hoc quoque loco *tulat* forma in versus colive fine iambico exstitisse videtur putanda esse, ordo verborum traditus mutetur necesse est, nisi forte iam aliudve verbum monosyllabum ante *tulat* excidit.

20) cf. Brock l. c. p. 88, 89; Jacobsohn l. c. p. 15—18; Lindsay l. c. Chapt. VIII § 4; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 101.

Si tot locos sub numeris I et II memoratos propter metrum non emendari non potuisse concesseris, a multitudine ceterorum exemplorum correctorum non petes argumentum, ex quo haec corrigenda fuisse neges. Atque hic libet monere non minus saepe formas usitatas pro formis exoletis et insuetis librorum culpa irrepsisse in libros manu scriptos quam versa vice aliis locis a libraribus, cum falsum et ineptum antiquitatis colorem appeterent, pro formis cotidianis in usu adhibitis formas archaicas et inusitatas illatas esse supra ad num. 7 dixi.

21) cf. Brock l. c. p. 83-87; Jacobsohn l. c. p. 10, Engelbrecht l. c. p. 51-53; Conradt: Hermes X (1876) p. 102; E. Stange l. c. p. 6-13; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 108.

Lucilius tales formas habet ter in versuum finibus iambicis, scilicet sat. XXV 630, XXVII 716, frgm. inc. 944 et quinques in hexametris dactylicis, scilicet sat. I 22, IX 338, 374, XIV 469, frgm. inc. 1120.

De usu Catonis, qui persaepe has formas archaicas habet quamvis permixtas formis usitatis, cf. P. Weise: Quaestionum Catonianarum capita V (Goettingae 1886) p. 46/47.

Inscriptionum exempla Stange contulit.

Congeriem illarum 136 formarum, quae apud Plautum in finibus versuum senariorum octonariorumque iambicorum aut septenariorum trochaicorum exstant, quas nusquam collectas inveni, hic propono:

Am. (pr. 10, 57, 58, 105, 115 +) 392, 399, 434 485, 787, 856, 858, 924, 934, 1106	(5 in prologo +) 10 in fabula = 1,1 4 " " = 0,7	in centenis versibus illis iambo finitis.
As. 21, 348, 505, 770	4 " " = 0,7	
Au. (pr. 39 +) 182, 229, 231, 278, 369, 450, 542, 545, 765	(1 " " +) 9 " " = 1,3 6 " " = 0,6	
Ba. 142, 461, 594, 637 (Leo con.), 827, 1037	5 " " = 0,6	
Cap. 193, 560, 626, 736, 969	5 " " = 0,6	
Cas. (pr. 76 +) 513, 565, 636	(1 " " +) 3 " " = 0,5	
Ci. 164	1 " " = 0,2	
Cu. 58, 372, 396, 440	4 " " = 0,6	
Ep. 257, 575	2 " " = 0,3	
Men. 178, 188, 190, 341, 502, 992, 1146, 1150	8 " " = 0,8	
Mer. 110, 125, 267, 331, 432, 572, 693, 825, 885, 898, 906, 992	12 " " = 1,3	
Mi. 199, 227, 515, 597, 742, 955, 1181, 1316, 1358, 1436	10 " " = 0,9	
Mo. 400, 407, 661	3 " " = 0,3	
Pe. 237, 699	2 " " = 0,3	
Poe. (pr. 20, 92, 97 +) 184, 276, 400, 547, 616, 649, 721, 817, 860, 1121, 1213, 1290, 1404, 1416	(3 " " +) 14 " " = 1,2 7 " " = 0,7	
Ps. 50, 97, 390, 392, 611, 785, 1062	7 " " = 0,7	
Ru. 522, 566, 746, 890, 979, 1026, 1031, 1163, 1349, 1381	10 " " = 1,0	
St. 268	1 " " = 0,1	
Tri. (pr. 6 +) 76, 88, 472, 694	(1 " " +) 4 " " = 0,4	
Tru. 34, 63, 325, 338, 348, 486, 688, 736, 907	9 " " = 1,3	
Vidul. frgm. XI	1 " " = 1,0	

Summa (11 in prologis +) 125 in fabulis.

Illa vero sub tabulae numero VIII exempla Plautina et Terentiana, quae Ter. Ad. 83 excepto 17 numerantur, partim metri causa corrigenda sunt, partim accentu alii atque solitae syllabae imposito leguntur atque ob eam rem in plerisque quae adhuc publici iuris factae sunt editionibus Plautinis Terentianisque correctae sunt, non correctae sunt in Lindsayi editione Plautina. Neque vero huc pertinent Ter. Haut. 485 et 620, quibus locis in A recte sit traditur, quamquam e littera per manum recentiore superscripta est. Denique afferre mitto exempla ea, in quibus, quamquam codex unus aut codices complures falso formam archaicam praebent, tamen usitatae formae, quae metro postulatur, testimonia non desunt.

Atque Ter. Ad. 83 quamquam solita *siet* formae syllaba accentu versus praedita est, tamen haec forma in primo pede senarii iambici ferri non potest. Itaque hunc versum variis modis emendare conati sunt Ritschl Conradt alii; quorum nemini id contigisse arbitratus cum omnem Demeae in vss. 81/82 sermonem corruptum esse mihi persuaserim, meam de his versibus sententiam exponam in appendice I disputationi meae adiungenda.

Coniecturis autem, quas Conradt ad Ter. Hec. 567 et 637, Dziatzko ad Hec. 637 temp-taverunt, non opus fuisse nunc apparere credo ex tabulae meae columna III.

22) cf. Brock l. c. p. 88; Jacobsohn l. c. p. 14/15; Engelbrecht l. c. p. 54/55; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 108.

De Plaut. Capt. 260 Jacobsohn haec suadet: „licet quidem fortasse
neque te nobis, si abeam(us) hinc, si fuat occasio

legi.“ Hoc mihi quidem non aequae videtur licere.

Plaut. Amph. 985

nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi

aut verbis transpositis *homo fuat* aut, id quod Usener voluit, *quispiam* pro *quisquam* videtur scribendum esse. Usener hac coniectura hiatum inter *qui* et *obviam* tollebat; qua coniectura probata *quispiam* forma sub tabulae num. V inseri potest, forma *fuat* sub num. II.

Plaut. Pe. 51

sed recipe quam primum potes, cave fuas mi in quaestione

Kampmann *cave sis* pro *cave fuas* scribendum esse putat; quod quo iure putet, ipse videat.

Ad Plaut. Pseud. 432

fors fuat an istaec dicta sint mendacia

Jacobsohn dicit *fuat* formam nihil offensionis habere, „quia *fors fuat* an locutio facta sit, in qua apud scriptores posterioris aetatis coniunctivus antiquus *fuam* adhuc servaretur (exempla apud Neue III³ p. 601)“

Ceterum propter tantum numerum exemplorum sub tabulae num. VIII insertorum Jacobsohn non iniuria mihi videtur dubitasse, num coniunctivus a stirpe *fu* natus *fuam* „re vera eiusdem conditionis sit cuius *danunt, duim, duam*.“

23) cf. Dziatzko ad Ter. Ad. 106 et Jen. Lit.-Zeit. 1896, p. 600; Jacobsohn l. c. p. 20/21; Brock l. c. p. 157; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 127.

24) cf. Brix ad Plaut. Men. 1040; August Luchs: Quaestiones metricae (Studem. Stud. I, 1) p. 31; Fr. Schultz: De obsoletis coniugationum Plautinarum formis (Programm Conitz 1864); Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 45, ubi adnotatur observari apud Plautum formae usitatae *reddam* 18 exempla.

25) cf. Lindsay: Varia Plautina II: *tetini et tenui* (Harvard studies in classical philology, vol. IX (1898) p. 127-130); Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 51.

Pac. trg. 226 legitur *tetinis* forma non iambo finita. Apud Catonem exstat *abstinui* rell. 43,7.

Pac. trg. 172 mihi videtur non satis certo traditum esse, ut inde argumentum petatur ad refellendam sententiam eam, quam hac disputatione probaturus sum.

De Plaut. Rud. 93 qui versus traditur hac forma

eo vos amici detinui diutius

Lindsay l. c. p. 129 haec dicit: „Whether the line is correct as it stands (with *diutius*) or requires emendation, the two forms *detinui* and *detini* seem to be equally allowable.“ Dziatzko proposuit *detinivi diutius*. De eodem loco disputat Solmsen: Studien zur lat. Lautgesch. p. 195.

26) Praeterea *queat* legitur Enn. epigr. IV in pentametro dactylico.

Plaut. Pe. 194 exstat *queantur* forma passiva, quae non iambo finitur.

Ceterum *queo* formam in hanc tabulam inserere prohibeo his exemplis duobus solis, quippe quae non exstant versuum locis illis legitimis: Plaut. Aul. 69 et 76, quorum tamen versuum uterque quam offensionem habeat Leo adnotat.

27) cf. Neue: Lat. Form. III³ p. 623-626; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 131.

Praeterea *non queo* legitur Lucil. sat. XXVI 622 in fine septenarii trochaici.

Aliis versuum locis leguntur formae *nequeo, nequeam* etc. eaeque persaepe; ut exempla afferam, *nequeo* legitur Plaut. As. 504, Aul. 715, 726, Capt. 592, 799, Men. 253, Merc. 125, 671, Mil. 265, 1249, 1260, 1342, Most. 148, Trin. 1132, Ter. Hec. 361, 385, 645, Ph. 512, 983, Eun. 547, Haut. 320, Ad. 544, Turp. com. 51,62 (corr.), trg. inc. inc. 176; *nequeunt* Plaut. Curc. 188, Mil. 890, Most. 863; *nequeas* Plaut. Merc. 839, Most. 896, Ter. Eun. 75; *nequeat* Plaut. Pseud. 570, Ter. Hec. 575, Ad. 520, Pac. trg. 371; *nequitum* Pac. trg. 390. Accedunt apud Catonem *nequeo* rell. 33,5; *nequeunt* rell. 73,4; *nequitum* rell. 8,17.

Plaut. Stich. 292 *nequeo* pro *non queo* scribendum esse censeo. Sed cum totus huius versus finis mea sententia non sine offensione sit, quid de hoc versu sentiam, in appendice II explicabo.

	I) in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diaeresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesi- ram mediam septen. troch.	III) ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem ver- suum locis aliis	IX) in aliis versibus, solicite lyricis
28) <i>nequitis</i> <i>nequiti</i>	Plant. Mer. 636, Mo. 837. Ter. Ad. 51.						Men. 190.		Plant. Tru. 553 (<i>vepata</i> CD).
29) <i>navolo</i>	Plant. As. 835, Cu. 320, Mer. 421, Poe. 301, 303, Ru. 1413, Addict. frgm. I. Ter. He. 540.		Ps. 728.						
<i>navelini</i>	Plant. Ba. 559, Cap. 516, Men. 720, Mer. 885, Pe. 4, Poe. 151, 827, 1150, Ru. 570, Tru. 422, 742, 746.		As. 877, Au. 661, Tru. 227 (A).					Mer. 356 (cf. adn.).	
<i>navelitis</i>			Plant. Cap. 270.						Ps. 140 (A, <i>inductilis</i> P.; sed distinctio ver- suum incerta).
<i>navellit</i> <i>navolet</i>	Plant. As. 121.	Plant. Tri. 306.							Mo. 110.
30) <i>nevitis</i>	Plant. Cu. 82, Mo. 762, 1176, Pe. 358, Ps. 436, Tri. 1156.		Mer. 150, Poe. 1079 <i>navis</i> D; <i>me vis</i> C), Tri. 328, (<i>navis</i> A).						
<i>nevotti</i>	Plant. Ep. 586, Tri. 361. Tit. com. 105.	Ep. 42 (Her- mann corr.), Tri. 364.							

31) <i>non velitis</i>	Plant. Tri. 671. 87 pall. inc. inc. 87 (Ribbeck con). Plant. Mer. 452, 453. Plant. Mer. 7, Mo. 681.								Poe. 244.
<i>non velitti</i> <i>non velittis</i>									
32) <i>adfatim</i>	Plant. Ci. 231, Mi 980, Poe. 534, 867. Andr. pall. 4.		Men. 91, Tri. Ba. 457 (in 1185 (<i>at fatim</i> s.), Men. 457 mas. (<i>at</i> B)).						
33) <i>antidhac</i>	Plant. Am. 711, Au. 396, Ba. 539, Cas pr. 86, Ci. 198. Ep. 539, Poe. 752, Ps. 16, 620. pall. inc. inc. 96.								
34) <i>clanculum</i>	Plant. Am. 797, Ba. 317, Men. 477, Mi. s.), 130, 822, 985, Mo. (versum spu- 1044/45, Ru. 1189, rium esse in- Tri. 798, 804, Tru. dicat Marx), 670.	Poe. 913 (in Am. 795 (in s.), Ru. 302 As. 881, Ba. s.), 375 (in s.), Cas. 444, Ci. 91, Cu. 22 (in s.), Men. 531 (ms.), 560, Ru. pr. 57 (deest A), Tru 408 (in s.).	Am. 523 (in Mi. 934 (in s.), Men. 605.						Mo. 698 (in s.).
	Ter. Eu. 310, Hau. 472, Ph. 873, Ad. 52.	Eu. 602.						Eu. 411, 589 (ad utrumque vers. cf. adn.).	
	Afr. com. 47.	Alta com. 24							

I)	II)	III)	IV)	V)	VI)	VII)	VIII)	IX)
in finibus aen. iamb. aut octon. iamb. aut septem. troch.	ante diaeresin mediam septem. vel octon. iamb. aut ante caesuram ante septem. troch.	ante ultimam di- yodiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septem. troch.	ante II. thesin septem. vel octon. iamb.	ante III. thesin septem. vel octon. iamb.	ante III. thesin sen. iamb.	ante III. thesin septem. troch.	corundem versuum locis alibi	in alii versibus, scilicet lyrice
35) extempulo Plant. Au. 93 (Mi. 890 (Camerar. corr.)), <i>tempoutms.</i> ; Ba. 968. Ci. 96 (Camerar. corr.); 572, Mi. 461 (Camerar. corr.), Poe. 183.					<i>Naev. com. 98</i> (in s.; C. F. W. Mueller corr.).			
36) gratis Plant. As. pr. 5, Mo. 175 (deest 190, Ba. 30, Cap. A; <i>gratis</i> cet. A; <i>gratis</i> cet. A; <i>gratis</i> cet. A; <i>gratis</i> cet. A; mss.), Pe. 285 Ep. 474, Poe. 868, (A; <i>gratis</i> P), Ter. Ad. 744, Ph. 500. Pompon. com. 10	Mo. 175 (deest As. 194 (deest Cap. 948 (deest A; <i>gratis</i> cet. A; <i>gratis</i> cet. A; mss.),	As. 194 (deest Cap. 948 (deest A; <i>gratis</i> cet. A; <i>gratis</i> cet. A; mss.).						
ingratis Plant. Am. 371, Cas. 315, Ci. 626, Cu. 6, Men. 1054, Mer. 479, Mi. 449, 748, Ru. 772. Ter. Hau. 446, Ph. 888.								Am. 164 (deest A; <i>ingratis</i> cet. codd.), Cas. 193 (deest A; <i>ingratis</i> cet. mss.), 700 (<i>ingratis</i> in A; <i>ingratis</i> P).
37) postibi Plant. Ci. 620, Poe. 108, 902, Ru. 600, 1263.		Eu. 220 (<i>-tis</i> A; <i>-tus</i> CDF).					Mi. 1418 (in s.; cf. adn.).	

38) quispiam Plant. Am. 825, Mi. 431, Mo. 769, 816b, 846, Ps. 368, 1096, St. 171, Ru. 472, 813, Tri. 89, Tru. 724, Vidul. 25. Ter. Eu. 873. Afr. com. 29. Naev. com. 44.	Au. 344, Cap. 127, (<i>quispiam</i> BDV), Cu. 25 (in s.), 52 (in s.), Mo. 542 (in s.), Pe. 70 (in s.), Ru. 896 Tru. pr. 6 (in s.). An. 438 (in s.), Eu. 875. Hic. 349. Arg. inc. frgm. 257. Plant. Mo. 966 (<i>quispiam</i> P), Ter. Eu. 462 (in s.).	Ps. 219 (<i>quispiam</i> , <i>quispiam</i> P; in Ps. 785, Tru. 263 (in s.), Ru. 948, Tru. 103. (in s.)), Au. 91 (in s.), Pe. 735 (in s.), Ru. 701, 427, 432 (<i>quispiam</i> B; in s.), 639.	Ps. 186 (cf. adn.).	Cas. 166, 672 (in s.), 711, Mo. 345, Ps. 263 (in s.), Ru. 948, Tru. 103.
quispiam				
39) nunciam Plant. Au. 620, Cas. 812, Mi. 429, 721, 996, Ter. Ad. 28. Plant. Am. 778, 1052, As. 619 (in s.), Au. 789, 710 (in s.), Cu. corruptus; in Ba. 1058, Cap. 354, 522, Ep. 696 s.), Au. 453, Cas. 412, Ep. 72 (in s.), Mi. 930, Cap. [772] Men. 1155, Mer. 965, (<i>nunciam</i> BC), (Muellerconi), Mi. 1376, Mo. 426, Mo. 399 (<i>nunciam</i> Cas. 386 (in s.), 474, 989, 1166, <i>tu iam</i> B, <i>nunciam</i> Mo. 74 (in s.), Poe. 814, Ps. 497, <i>tulam</i> CD, 436, Pe. 215 557, Ru. 658, 809, corr. Bentley), (in s.), Poe. Tri pr. 3, 193, Vidul. Ru. 682, St. 746, Ps. 118, 15, 744, 546, St. 767 (in s.). Ter. Au. 329, Eu. 715, Ad. 184, 914.	Cas. 637. Mi. 597 (in s.).	As. 486 (in As. pr. 4 (deest s.)), Au. 81 (in A, cet. codd. s.)), Ep. 194 <i>iam nunc</i> , corr. (in s.), Mi. 357 (<i>Linguis</i> , Au. 623 (<i>nunciam</i> A; 327, Ci. 623 <i>iam nunc</i> P; <i>nunc</i> B; in s.) in s.), 363.	Ru. 1129, 1153. Ba. 995 (in s.; cf. adn.), Poe. 374 (cf. adn.), Ru. 1051 (in s.; cf. adn.).	Cap. 219, Ep. 67.

28) Aliis versuum locis pro his formis inveniuntur *non quis* Plaut. Most. 840, Pe. 287, Truc. 326; *non quit* Plaut. Aul. 391, Trin. 504; Ter. Hec. 183, Enn. trg. 240; *han quit* Plaut. Pe. 11.

Ex iis autem exemplis, quae ad tabulae meae numeros 27/28 et in tabulam ipsam et in adnotationes congressi, apparere mihi videtur Plauti Terentiique temporibus omnium in usu fuisse has indicativi et coniunctivi praesentis formas, quae apud veteres poetas scaenicos nulla lege obstrictae erant et quarum etiam nonnullae apud Catonem leguntur:

<i>nequeo</i>	<i>nequeam</i>
<i>non quis</i>	<i>nequeas</i>
<i>non quit</i>	<i>nequeat</i>
<i>nequeunt</i>	<i>nequeant</i>

Atque participii perfecti forma usitata erat: *nequitum*.

Sed in finibus versuum colorumve in iambum exeuntium poetae scaenici pro illis formis non aptis adhibere cogebantur has formas, quae ipsae quidem minime usitatae erant:

<i>non (haud) queo</i>	<i>non queam</i>
<i>nequis</i>	<i>non queas</i>
<i>nequit</i>	<i>non queat</i>
<i>non (haud) queunt</i>	<i>non queant</i>

Atque participii perfecti passivi forma poetica erat: *non quitum*.

Si quis vero quaeviserit, quales tandem hae formae putandae sint, si eas usitatas illis temporibus formas fuisse negatur, equidem non iam possum respondere, quid quaeque forma re vera sit. Tamen hoc constare credo: illae formae aut omnes archaicae aut omnes a poetis ipsis necessitate metri coactis nove formatae aut denique alterae archaicae alterae nove formatae existimantur necesse esse.

Sed non multo aliter rem se habere cognoscetur in iisdem *malo* verbi formis fere omnibus atque etiam in iisdem *nolo* verbi formis. Has autem *nolo* verbi formas Solmsen novicias esse contendit. Qui vir doctissimus si de huius verbi formis recte iudicavit, idem iudicium ad ceterorum quoque duorum verborum formas poeticas revocari posse probabile est. Sed cum vel ipsius *nequeo* verbi formae poeticae, quae modo examinatae sunt, non maiore iure archaismi appellari posse videantur quam *nolo* verbi formae poeticae, de quibus Solmsen egit, liceat eodem hoc loco sub huius archaismorum tabulae numeris insequentibus continuo tractare et illius *nolo* verbi exempla et praeterea exempla terti illius verbi *malo*, quamquam quid de poeticis horum verborum omnium formis re vera iudicandum sit, suspicari iam licere videtur.

29) cf. Jacobsohn l. c. p. 18/19; Neue: Lat. Form. III³ p. 620/21; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 110; Solmsen: Stud. zur lat. Lautgesch. p. 55/56.

Aliis versuum locis apud veteres poetas scaenicos occurrunt hae formae: *malo* Plaut. Ba. 1187, Cist. 599, Mil. 1333, Most. 179, Pe. 602, Poen. 1115, Ter. An. 332, Eun. 762, Haut. 862, 928, Afran. com. 80; *malim* Plaut. As. 811, 895, Ba. 465, 490, 514, 519c (versus suspectus), 875, Capt. 858, Ep. 119, Poen. 289, 1184, 1214, Trin. 762, Truc. 260, Vidul. frgm. XV, Ter. Ad. 311, 727, An. 529, 963 (*mallem* B), Eun. 66, Haut. 268, Hec. 794, Ph. 658, Enn. trg. 222; *malis* Plaut. Amph. 511, Cist. 31, Ter. Haut. 326, Hec. 110, 465; *malit* Caec. com. 49; *malint* Plaut. Stich. 80.

Apud Lucilium legitur *malis* sat. XXVI 62.

Denique *mavolunt* forma certe ipsa quoque poetica exstat Naev. bell. Pun. lib. III frgm. 4 (Vahlen); contra *malunt* legitur Acc. trg. 18 et Afran. com. 34.

Plaut. Mil. 1337 (septen. troch.).

si magis vis, eam omittam. # *Nolo, retine.* # *At ultro misero*
quoniam *si* vocalae vocalis longa est, mihi quidem plane obscurum est, cur poeta *magis vis* pro *mavis* dixerit.

Plaut. Merc. 356 in A non legitur; in ceteris codicibus traditur
hócinest amare? arare mavelim quam sic amare.

Versus octonarius trochaicus est in cantico ab utraque parte inclusus versibus baccheis. Et de talibus quidem singulis qui in cantico leguntur versibus trochaicis aut iambicis dubium esse potest, an aliter sentiendum sit atque de iis versibus, qui κατά στίχους leguntur.

30) cf. Donatum ad Ter. Eun. III 2, 2; Solmsen l. c. p. 9/10, 12, 54; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 110.

Aliis versuum locis apud Plautum non semel leguntur hae formae: *non vis* velut Men. 787, Most. 336, Pe. 487, Trin. 1160, (Hodgman exempla 9 testatur), *non vult* velut Ep. 70, 585. Praeterea exstat *non vis* Naev. com. 8, 44, Lucil. sat. XXVIII 749, XXX 1002, frgm. inc. 1280; *non volt* Caec. com. 175.

31) cf. Solmsen l. c. p. 9/10; Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 110.

Aliis versuum locis apud Plautum exstant hae formae: *nolim* Amph. pr. 86, 439, As. 214, Capt. 943, Merc. 539; *nolis* Ba. 914, Cas. 314, Pe. 489; *nolii* Most. 287; *nolint* (*nolunt* P) Pseud. 207 (versus spurius). Apud Terentium Solmsen harum formarum contractarum exempla 10 testatur. Praeterea *nolis* legitur Caec. com. 145.

Cato scripsit *nolim* rell. 24, 7 et 58,8.

32) cf. Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 296.

33) cf. Peter Langen: Analecta Plautina III (Univers.-Progr. Münster 1883) p. 8—14; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 300.

Aliis versuum locis apud Plautum vices invenitur *antehac*, quae forma semper duarum syllabarum est; eadem forma non semel legitur apud Terentium ceterosque veteres poetas scaenicos.

34) cf. Jacobsohn l. c. p. 11.

Hoc verbum Lucil. sat. XXVII 722 exstat in fine septenarii trochaici.

Apparere videtur ex tabula mea Plauti versus Mil. 934 et Poen. 913 non idoneos esse, ex quibus *clanculum* formam apud Plautum „omnibus locis versus collocari“ concludatur, id quod Jacobsohn fecit p. 11 adn. 1. Quodsi hoc verbum apud Terentium bis locis non legitimis, qui videntur, invenitur, dubium esse potest, an de Terentii ratione aliter iudicandum sit ac de Plauti. Ceterum *clanculum* Eun. 411, quoniam synaloephae in diaeresi quoque locus est, exstat in fine coli cadentis in numerum iambicum. Neque aliter res se habet Eun. 589, si Tyrrellium hunc versum recte interpunxisse concesseris. Quae si ita sunt, in utroque versu ne potest quidem alia incisio ulla fieri nisi diaeresis post *clanculum*. Itaque verbum in his quoque versibus Terentianis si non iis locis, qui apud Plautum ceterosque veteres poetas scaenicos soli videntur legitimi, at certe in fine coli in iambum cadentis exstat, h. e. conditionibus sane simillimis atque locis illis legitimis.

35) cf. Brock l. c. p. 94; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 300.

Aliis versuum locis invenitur *extemplo* apud Plautum sexagies sexies.

36) cf. Brock l. c. p. 94; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 297.

37) cf. Ritschl: opusc. II 634; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 300.

Plaut. Mil. 1418 *postibi* non eo versus loco exstat, qui legitimus duci possit. Itaque in hoc versu corruptelam statuendam esse censeo, praesertim cum P non idem tradat quod A; legitur enim in A *postibi amittendum*, contra in P *post tibi amitte dum*. Atque equidem verba Carionis coqui hoc modo restituenda esse arbitror:

verberetur etiam, post tibi amittendum censeo.

Quodsi archetypus, ex quo A et P derivati sunt, hanc versus formam praebat, facile potuit fieri, ut is qui codicem A scripsit litterarum duarum *t* unam omitteret, contra *n* littera negligentia librarii excideret in eo codice, ex quo codices recensiois P descripti sint.

Ac ne supervacaneum quidem *tibi* illud mihi videtur ad *amittendum* formam. Nam quod attinet ad *verberetur* formam praecedentem, haec forma aptissime usurpata est, quoniam Cario Pyrgopolinicum militem illum in adulterio deprehensum et verberari vult a ceteris, qui adsunt, et ipse verberare vult, cf. v. 1424 (ab omnibus miles re vera iam intra domum vapulavit, cf. v. 1393; deinde vapulat v. 1403 a lorario, v. 1405 a Periplectomeno). Itaque ad *verberetur* formam non „a lorario“ sed „a nobis“ supplendum esse consentaneum mihi videtur. Quae cum ita sint, Cario si verbis illis insequentibus dixisset *postibi amittendum censeo*, hoc nihil aliud significare potuisset nisi *postibi* „nobis“ *amittendum censeo*. Sed hocne, cum moechum amittere neque coqui neque alterius cuiusquam praeter Periplectomenum erum esset, convenire putabis in eum locum, quo Carionem clementia quadam commotum militi

deprecatorem existere apud Peripleptomenum erum apparere videatur ex versu insequenti, scil. 1418? Ergo *amittere* verbum v. 1417 non plane ita ut v. 1421, sed ita ut *mitto* verbum v. 1424 interpretandum est. Tum vero *tibi* pronomem vix posse deesse credo ad *amittendum* verbum v. 1418.

38) Aliis versuum locis apud veteres poetas scaenicos et Lucilium persaepe leguntur hae formae *quisquam*, *quoquam*, *usquam*. Cato non alias formas habet nisi *quisquam* etc. in libro de agric. 144,2; 145,2 et rell. 25,8 (bis); 33,10; 46,1; 49,5: 88,10; *quoquam* de agric. 70; *usquam* rell. 11,3. In S. C. de Bacchan. lin. 12 *quiquam* forma utrum pro *quicquam* exstet an aliter interpretanda sit, in ambiguo est.

Plaut. Pseud. 186

ne dictum esse actutum sibi quaequam vostrarum mihi neget

cum versum octonarium iambicum non sine offensione legi posse concedendum videatur, sive *quaequam* (—) sive cum Leone *quaequam* legitur, haec forma tradita corrigatur necesse esse credo aut in *quisquam*, id quod Fleckeisen et Mueller voluerunt, aut cum Usenero in *quaequam*, id quod mihi quoque verisimilius videtur; nam si *quaequam* forma hoc loco primaria erat, haec forma usitata a librario quodam perfacile potuit mutari in formam illam artificiosiore.

Quodsi *quisquam* etc., *quopiam*, *uspian* formas apud veteres poetas scaenicos nisi versuum locis illis singularibus non inveniri concesseris, fieri non potest, quin ab illis aetatis sermone cotidiano abhorreere atque propter metri necessitatem a poetis scaenicis aut nove formatae esse putentur aut ex antiquioribus carminibus repetitae, ita ut illis temporibus iam archaicae essent. Quarum sententiarum utra veris respondeat, quaeritur. Atque primum quidem si potuerint illae formae Plauti Terentiique fere temporibus nove formari quaerimus, hoc mihi quidem non probabile videtur. Nam poterant hoc facere poetae nullo alio modo nisi cum alterius cuiusdam verbi conformationem similem per analogiam imitarentur. Et quae verba ad hanc rem fortasse respicienda sint, videre poteris in W. Corsseni libro quem inscripsit: *Über Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache* (Leipzig 1859), vol. II pag. 278, ubi enumerantur:

<i>etiam</i>	< <i>et-iam</i>
<i>quisquam</i> etc.	< <i>quis-pe-iam</i> etc.
<i>uspian</i>	< <i>us-pe-iam</i>
<i>nuspian</i>	< <i>ne-us-pe-iam</i>
<i>nunciam</i>	< <i>nunc-iam</i>
<i>quoniam</i>	< <i>quom-iam</i>

Ex quibus formis *nuspian* formam ad similitudinem *uspian* formae formatam esse vix potest dubium esse. *Nunciam* autem vocem trisyllabam ab illorum temporum sermone usitato ipsam quoque abhorreere et propter metrum adhibitam esse infra videbis. Itaque non restant nisi *etiam* et *quoniam* vocabula, quorum ad similitudinem *quisquam* etc. (atque etiam *nunciam*) formas illas a poetis scaenicis conformatas esse incredibile mihi videtur, praesertim cum *etiam* et *quoniam* vocabula ipsa ne convenient quidem in versuum sedes illas, ad quas *quisquam* etc. formae solas pertinent. Quas formas item atque *etiam*, *quoniam* voces ipsas Plauti Terentiique temporibus non nove formatas esse, sed iam vetustissimas fuisse mihi persuasum est. Nam *i* littera *iam* vocalae simplicis consonans et certe a principio fuit et semper mansit in lingua Latina. Ac ne in composito quidem verbo aut Livii Andronici temporibus aut postea mutabatur *i* consonans, sive in commissura post consonantem sive post vocalem exstabat: cf. *abiurare*, *adiacere*, *adiudicare*, *exiurare*, *obiurgare*, *periuicundus*, *subiungere*, alia et *seiungere*, *proiectus* etc. Ergo Livii Andronici aetate aut postea ut oraretur forma ulla ex illis, in quibus *iam* vocalae *i* littera vocalis erat, minime potuit fieri. Sed vetustissimis Latinae linguae temporibus *iam* vocalae *i* littera consonans in commissura verbi compositi poterat mutari in vocalem, cum consonantem excipiebat; tum vero mutari etiam oportebat (cf. Stolz: *Histor. Gram. d. lat. Sprache* I, 1, pag. 165). Itaque neque *quisquam*, *quopiam*, *uspian* (item *nunciam*) formae neque *etiam*, *quoniam* voces poterant formari nisi vetustissimis temporibus linguae Latinae. *Quisquam*, *quopiam*, *uspian* (et item *nunciam*)

Archaismos igitur quos potui, proposui. Neque tamen facere potui, quin intermiscerem complures formas, quas non archaicas habendas esse verisimilius videtur. Id si quis reprehendere velit, tamen vel ex ea ipsa re hoc apparere eum concessurum puto veteres poetas scaenicos his verbis non archaicis usos esse eadem ratione qua archaismis veris, quamquam opus esse pluribus exemplis quibus hic usus probetur non nego. Tum vero id quoque apparuit illas quas intermiscui voces non archaicas nihil aliud posse putari nisi formationes novas. Atque adeo quaecumque verborum ad illas versuum sedes singulares solas pertinentium aut certo non sunt archaismi aut non esse cognoscetur, ea non posse nisi novicia esse contendo. Hoc quidem exsequi nequibo in hac dissertatione. Attamen usum vocum non archaicarum, sed quae ad easdem illas versuum sedes solas pertinere videntur atque archaismi veri, nonnullis aliis exemplis, quantum hoc loco fieri poterit, illustrare atque probare liceat hac quae insequitur tabula altera.

autem formas, quippe quas Plauti Terentiique temporibus ne cotidiano quidem in usu fuisse ex tabula mea apparere videatur, a poetis scaenicis nisi ex carminibus antiquioribus repeti non potuisse easque illis iam temporibus re vera archaicas fuisse concludendum censeo.

39) cf. P. Langen: *Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus* (Leipzig 1830) p. 285-288; Hougman: *Class. Rev.* XVII (1903) p. 301.

Plaut. Ba. 995, Poen. 374, Rud. 1051 non cum Langeno aliisque trisyllabam *nunciam* verbi formam, sed bisyllabam legendam esse censeo et qua de causa censeam explicabo in appendice III, ubi tota de hoc verbo disputatio Langeni mihi retractanda erit.

Tabula II.

	I) in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diseresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram aut ante mediam septen. troch.	III) ante ultimam di- podiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem ver- sum locis alijs	IX) in alijs versibus, scilicet lyricis
40) <i>ditiae</i>	Plant. Cap. 170, Ci. 559 (Schoell corr.), Poe. pr. 60, Ru. 542, Tri. 682. Ter. An. 797, Hau. 194, 527. Pompon. com. 159 (<i>divitiae</i> traditur; sed in creticum contrahendum est). Plant. Au. 809 (Gu- yet corr.; cf. P. Langen).								
<i>divitem,</i> <i>-is, -i, -e,</i> <i>-es</i>	Plant. Au. 226, 489, Ci. 532, Cu. 178, Poe. 811, Ru. pr. 55, Tri. 428. Ter. Ph. 276.	As. 529.	Poe. pr. 73. synalophe).	Poe. 517 (in Tru. 220 (in Ba. 338 (in s.), Tri. 490.					Am. 167.
41) <i>lartidum</i>	Plant. Cap. 903, 907.		Men. 210.	Cap. 847 (<i>lar. dum</i> (<i>ri cras.</i>) B, <i>lartidarum</i> F; in s.)					
42) <i>acriter</i>	Plant. Cas. 340, Ci. 108, Mer. 177, Ps. 273. pall. inc. inc. 46.								
<i>acrius</i>	Plant. Am. 1113, St. 180, Tri. 169. Ter. He. 120. Afr. com. 309. Acc. trg. 467.								
<i>acritas</i>									

43) adiectiva suf- fixo <i>-ctus</i> formata:									
<i>adoptati-</i> <i>cius</i>	Plant. Poe. 1045, 1080.								
<i>caesicius</i>	Plant. Ep. 230.								
<i>conducti-</i> <i>cius</i>	Pylades corr.; 313, 706.								
<i>confusi-</i> <i>cius</i>	Plant. Ci. 473.								
<i>conventi-</i> <i>cius</i>									
<i>demissi-</i> <i>cius</i>	Plant. Poe. 1303.								
<i>emissicius</i>	Plant. Au. 41.								
<i>expositi-</i> <i>cius</i>	Plant. Cas. pr. 79 (cf. adm.)								
<i>noticius</i>	Plant. Cap. 718.								
<i>poticius</i>	Plant. Ba. 123.								
<i>protecti-</i> <i>cius</i>	Plant. (Ci. arg. 8).								
<i>suppositi-</i> <i>cius</i>	Plant. Ps. 1167.								
<i>surrupti-</i> <i>cius</i>	Plant. Cu. 205, Men. (arg. 7), pr. 60 et 68, Poe. 962.								
44) <i>gentium</i> (post adver- bium quoddam velut <i>ubi,</i> <i>nasquam</i>).	Plant. Am. 620, 686, As. 90, 287, Ba. 831, Cas. pr. 70, Ci. 668, Ep. 483, 678, Men. 262, Mer. 418, 433, 606, 858, Mi. 685, 1379, Poe. 690, 825, Ps. 98, 619, 966, Ru. 469, Tru. 914. Ter. Hau. 928, Ph. 1033, Ad. 342, 540. Acc. trg. 599.	Au. 413.	Poe. 402, 405 (in s.), Ru. 824 (in s.).						
									He. 284 (in s.).

	I) in finibus sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diaeresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram mediam septen. troch.	III) ante ultimam diphthau fam- licam in octon. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem ver- sum locis aliis	IX) in aliis versibus scilicet lyricis
45) <i>foei</i> (post ad- verbium quod- dam velut <i>abi, inter-</i> <i>ec</i>).	Plant. As. 32, 36, Ci. 150, 784, Cu. 418, Men. 446, Ps. 266, Ru. 571, St. 620, 758, Tru. pr. 1, 32, Ter. Han. 257, Eu. 126, Ph. 979. Pac. trg. 76.	Ci. 529, Ru. 1161.	Mer. 986 (in s.). Cap. 958.					Ru. 210.	
46) Adiectivorum declinationis II. adverbia suf- fixo <i>-iter</i> for- mata: <i>aegritter</i> <i>amiciter</i> <i>ampliter</i> <i>avariter</i> <i>benigniter</i> <i>blanditer</i>	Andr. trg. 3. Enn. trg. 1 (Rib- beck propos.). Pac. trg. 73. Pac. trg. 131. Plant. Ba. 677, Cas. 501, Ci. 598, Mer. 99, Mi. 758, St. 692. Acc. trg. 282. Plant. Ru. 1238. Tit. com. 49. Plant. As. 222.	Plant. Pe. 255.	Acc. trg. 120. Pompon. com. 54.					Cu. 128. Ps. 1290.	

<i>duriter</i>	Caec. com. 42. Ter. An. 74, Ad. 45, 662. Nov. com. 99 (cf. adn.). Nov. com. 40. Plant. Cas. 132, Ep. 83. Lab. com. 133. Pompon. com. 17. Caec. com. 78. Plant. Mo. 438, Ru. 1188, Tru. 903	Afr. com. 251.	Enn. trg. 265. Ps. 901. Ep. 485. Lab. com. 8. Lab. com. 149					Afr. com. 12. Plant. Ru. 265 (idem iamb. cae- at Schoell dispre- dit: sed apud Leonem ante VII. thesin sept. troch.). Plant. Poe. 235.
<i>festiviter</i> <i>firmiter</i>								
<i>insaniter</i> <i>iracunditer</i> <i>largiter</i>								
<i>maestiter</i>								
<i>miseriter</i> <i>munditer</i>								
<i>(g)naviter</i> <i>parciter</i> <i>primiter</i>								
<i>prognariter</i> <i>properiter</i>								
<i>porterviter</i> <i>puriter</i>								
<i>reveren-</i> <i>diter</i>								Nov. com. 97 (Bergk).

	I) in fimbis sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	II) ante diaeresin mediam septen. vel octon. iamb. aut ante caesuram mediam septen. troch.	III) ante ultimam dipodiam iambicam in sen. iamb. aut octon. iamb. aut septen. troch.	IV) ante II. thesin septen. troch.	V) ante III. thesin septen. vel octon. iamb.	VI) ante III. thesin sen. iamb.	VII) ante III. thesin septen. troch.	VIII) eorundem versuum locis aliis	IX) in aliis versibus, scilicet lyricis
<i>saeviter</i>	Plaut. Poe. 335, St. 78 (Leo corr.), Tri. 1080, Tru. 896.			Afr. com. 301. Enn. trg. 145, 266.				Ps. 1290.	
<i>saniter</i> <i>severiter</i> <i>superbiter</i> <i>tenenter</i>	Acc. trg. 174. Afr. com. 220. Tri. com. 67. Afr. com. 285.								
<i>torviter</i>		Pompon. com. 18.							
47) <i>surpuit</i>			Plaut. Men. 310 (deest A, cet. codd. <i>surripuit</i> ; cf. adn.)						
<i>surpuit</i>	Plaut. Cap. 8, 760, 1011.								

Adnotationes ad singula secundae tabulae capita.

40) cf. P. Langen: Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 279—282; Solmsen l. c. p. 102, 115, 120, 122; Hodgman: Class. Rev. XVI (1902) p. 304 et p. 451.

Apud Lucilium *ditias* forma invenitur sat. XVII 717 in fine septenarii trochaici, cum in hexametris dactylicis non potuerint adhiberi nisi formae pleniores, quales leguntur *divitiae* sat. XVI 523, *divitias* sat. V 205, *divitiis* sat. frgm. 1332.

Apud veteres autem poetas scaenicos formae non contractae *divitiae* etc. leguntur in Plauti fabulis locis 31, alibi nusquam; *divitior* forma traditur apud Plautum Pseud. 1323 (in anapaestis), *divitioribus* forma apud Terentium Ph. 42 (codicibus praeter EL omnibus). Ergo in his vocibus contractae formae poeticae sunt putandae, formae non contractae usitatae. Plane vero aliter res se habere videtur in adiectivi simplicis formis excepto nominativo (et dativo pluralis). Ex quibus formas trisyllabas neque contractas omnes singularibus illis versuum locis exstare supra vides. Contra alii versuum locis occurrunt formae contractae, quarum haec sunt exempla apud Plautum: *dites* (nom. plur.) Curc. 475, *ditis* (acc. plur.) Curc. 472, 485 (quae exempla omnia tria non Plautina esse cum alii viri doctissimi (cf. Leonis, adn. ad v. 470 sq.) tum Langen l. c. pag. 280 demonstrare conati sunt); apud Terentium: *ditem* Haut. 609 et Ph. 653; *ditis* (gen. sing.) Ad. 581; *dites* (nom. plur.) Ad. 502. Quae cum ita sint, Solmsen (p. 115) contra Langeni sententiam non iniuria mihi videtur haec exsecutus esse: „Wenn ich erwäge, dass in anderen analogen Fällen die kürzere Form schon zu Plautus' Zeiten allein oder neben der längeren gäng und gäbe ist, so kann ich mich nicht dazu entschliessen, *düt-* für diese Zeit dem allgemeinen Sprachgebrauch noch fast ganz abzusprechen, sondern kann in der offenbaren Bevorzugung von *divit-* nur eine individuelle Eigentümlichkeit des Dichters sehen.“ Immo vero adiectivi simplicis praeter nominativum singularis (et probabiliter dativum pluralis) formas trisyllabas mere poeticas, contra formas contractas solas in usu fuisse equidem censeo affirmandum esse. Obstat videtur unum apud Catonem exemplum, scil. rell. 37, 7, ubi *divites* traditur; sed quid impedit, quominus Cato *divites* scripsisse, sed *dites* locutus esse putetur?

Ceterum *divitiae* substantivi genitivus pluralis atque pariter (fortasse adiectivi simplicis dativus pluralis *ditibus* et) comparativi *divitior* casus obliqui, cum aut nullo unquam modo aut plane immutatae in versuum colorumve fines iambicos convenirent, numquam fuit apud veteres poetas scaenicos, cur substituerentur formis non usitatis.

Ergo Plauti Terentiique temporibus rerum statum hunc fuisse video: vulgo in usu erant *divitiae* et casus obliqui, *divitior* et casus obliqui, *ditem* et reliqui casus obliqui, quae formae praeter *ditibus* et *divitioribus* omnes non idoneae erant ad versuum colorumve fines iambicos. Idoneas autem formas his locis poetae sibi fingere saepe cogebantur atque in plerisque illis formis id non difficile factu erat. Quod assecuti sunt, cum pro substantivi *divitiae* nominativo casibusque praeter genitivum pluralis obliquis atque pro adiectivi formis comparativis *divitior*, **divitius* formas contractas facerent analogia usitatarum adiectivi simplicis formarum scil. *ditem*, *ditis* etc. usi. Contra pro his formis ut illis versuum locis idoneas sibi compararent, formis non contractis *divitem* etc. usi sunt. Quas formas poetas non nove restituisse conformationem vocum *divitiae*, *divitior* per analogiam imitatos, sed eas nondum contractas ex antiquioribus carminibus repetiisse mihi persuasum est; has igitur formas archaicas putandas esse censeo non aliter atque formas *siem*, infin. in *-ier* exeunt. aliasque similes. Contra *ditiae*, *ditior* formas nove formatas esse neminem esse puto quin concedat. Ceterum ne *divitiae*, *divitior* formas plane aliter se habere atque *divitem* etc. formas et vice versa *ditiae*, *ditior* formas plane aliter atque *ditem* etc. formas incredibilem arbitreris, memineris quae me supra demonstrasse *nequeo*, *nequeunt*, *nequeam* etc. formas Plauti temporibus usitatas, contra *nequis*, *nequit* poeticas fuisse, cum vice versa *non queo*, *non queunt*, *non queam* etc. poeticae, contra *non quis*, *non quit* usitatae essent, aliaque similia me in *malle* et *nolle* verborum formis observasse.

Quod autem attinet ad adiectivi simplicis nominativum singularem, ne hic quidem unquam in versu colive fine iambico collocari potuit. Ergo nullam unquam poeticam eius formam exstare potuisse concludendum est. Attamen duae formae diversae inveniuntur apud Plautum et Terentium. Apud Plautum enim *dives* forma bisyllaba exstat his 11 locis: Amph. 170,

As. 330, 499, Aul. 166, 184, 196, Capt. 324, Curc. 373, Men. 577, Most. 228, Poen. 516; atque duodecimus locus addendus est Ba. 331, ubi Langen recte defendit formam traditam servandam esse, servavit Leo. Apud alios veteres scriptores accedunt hi loci: Cato rell. 69, 3; Lucil. sat. frgm. inc. 1226. Apud Terentium autem unum nominativi singularis, qui Plauti temporibus Ad 770, ubi *dis* forma contracta legitur. Ergo nominativus singularis, qui Plauti temporibus certo formam bisyllabam habebat, paulo post casuum obliquorum *ditem*, *ditis* etc. conformationem usitatam per analogiam secutus ipse quoque contractionem subiit, ita ut iam Terentius forma monosyllaba uti potuerit.

41) cf. Hodgman: Class. Rev. XVI (1902) p. 303.

Alio versus loco traditur *lardum* Pompon. com. 169. Praeterea haec forma legitur Cato de agric. 83 et Lucil. sat. II, 79.

42) cf. Brock l. c. p. 94, ubi dicit: „*acriter* et *acrius* semper apud scaenicos i. f.; nescio qua de causa“. Ne me quidem quicquam certi proferre posse confiteor.

43) cf. Aufrecht: Zeitschr. für vergl. Sprachforschung vol. II (1853) p. 211 sqq.; Roensch: Itala et Vulgata² p. 123 sqq.

Tales adiectivorum formationes non leguntur apud veteres poetas scaenicos nisi apud Plautum, apud quem omnes illis versus locis legitimis exstant praeter *subditio* formam Pseud. arg. II 13; quod argumentum nihil attinet ad Plautum ipsum. Atque de hac forma mihi videtur recte iudicasse Opitz: „De argumentorum metricorum latinorum arte et origine“ (Leipz. Stud. VI 1883) pag. 223/24, cum *subditivo* scribendum censeret sententiam Ritscheli. Pseud. 752 autem, ubi *subditum* B, *sublitium* C, *subdicium* D, *subditium* codex Lipsiensis bibliothecae senatoriae praebet, item iam Ritschl *subditivom* formam certe recte restituit, ita ut nunc legamus:

subditivom fieri ego illum militis servom volo.

Ceterum in duobus argumentis Plautinis, scil. Cist. arg. 8 (cf. Opitz l. c. pag. 252) et Men. arg. 7 (cf. Opitz l. c. pag. 254), tales formationes non inveniri vides nisi quae in fabulis ipsis exstant (cf. Cist. 191 atque Men. prol. 60 et 68). Sed si Ep. arg. 2 (cf. Opitz l. c. pag. 253) Pylades recte restituisse putatur, hoc quoque exemplum accedit (cf. Epid. 313 et 706). Atque etiam Cas. prol. v. 79 mihi videtur huc referendus esse, si quidem Ritschl parerg. 180 sq. recte disputat de hoc toto prologo. Nam si totus prologus re vera non factus est a Plauto, id quod vix potest negari, illum quoque versum finxit, cum *expositicium* forma uteretur, novam formationem temptasse crediderim, sed suspicari nescio an liceat eum hanc formam in Casinae fabulae parte nunc aut mutilata aut plane deperdita invenisse. Ergo hoc probabile videtur non modo eos, qui argumenta Plautina fecerunt, sed etiam eos, qui prologos interpolaverunt, talibus formis singularibus non aliis uti solitos esse nisi quas in fabulis Plautinis ipsis invenirent.

44) cf. Brock l. c. p. 91; sed me quidem Ter. Hee. 284 impedit, quominus plane assentiar Brockio, qui hanc formam enumerat in verbis non adhibitis nisi in versus colorumve finibus iambicis. Attamen dubium esse potest, an Terentius formae usum primitus certis finibus circumscriptum dilatasse existimandus sit.

45) cf. Brock l. c. p. 92.

46) cf. Autenrieth: Eos II (1866) p. 514; Osthoff: Archiv für lat. Lex. u. Gram. IV (1887) p. 455 sqq.; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 297; Neue: Lat. Form. II³ p. 725-726.

Ex formis supra allatis apud Lucilium exstant haec: *ampliter* sat. XIII 442, *firmiter* sat. XII 431 et X 390, omnes in hexametris dactylicis; *superbiter* legitur Naev. bell. Poen. 55; Ennius praebet *prognariter* Ann. 209 et *torviter* Ann. 76.

Praeterea addi possunt *indignariter* C.I.L. I 1008 (Buech. Anth. lat. 58) in fine senarii iambici et *ignaviter* Lucil. sat. XVII 737 in hexametro dactylico.

Nov. com. 99, quod fragmentum Ribbeck ita dispescit

..... *duriter me habère,*
vigilasse

non minore iure dispesci posse nemo negabit hoc modo

..... *duriter*
..... *me habère, vigilasse*

ita ut hoc *duriter* formae exemplum in tabulae meae columnam I inseri possit, id quod feci.

Pro his formis, quas adhuc commemoravi, apud veteres poetas scaenicos aliis versus locis inveniuntur formae in *-e* exeutes; atque haec in *-e* exeutes formae quamquam sane eae erant, quae veterum quoque poetarum scaenicorum temporibus omnium in usu erant, tamen in illos versus colorumve fines iambicos minime conveniebant. Sed cum adverbium suffixo *-iter* formata ea, quae adhuc commemoravi, fere omnia singularibus illis versus locis solis inveniuntur, facile conicias haec adverbium illis ipsis locis pro formis in *-e* exeutibus non aptis propter metri necessitatem a poetis nove formata esse.

Sed existit causa sane gravissima, cur tales adiectivorum secundae declinationis in lingua Latina formae non omnes loco formationum mere poeticarum haberi possint. Impediunt enim *asperiter* forma, quam et Priscianus 2,70 apud Plautum (Leo frgm. inc. LIX) legitur et exhibent Caec. com. 43 (Bothe con. metri causa; libri *aspere*) et Lucil. sat. XIV 442, atque *prosperiter* forma, quam Priscianus 15, 13 Ennii esse testatur, quamquam pro *publiciter*, quae forma nisi Pompon. com. 27 non traditur, eum qui Nonii Compendiosam doctrinam anno 1471 edidit, recte *publicitus* scripsisse credo. Illae autem *asperiter* et *prosperiter* formae non conveniunt in versus colorumve fines iambicos; itaque his locis a poetis metri causa nove fictae esse non possunt. Inde sequitur, ut non possint esse nisi formae illis temporibus usitatae. Item usitatas existimari necessarium videtur etiam ex formis illis supra in tabulam congestis eas, quae in oratione soluta apud Catonem leguntur, scilicet *avariter* rell. 70, 3 et *puriter* de agric. 23, 2; 76, 1; 90; 112, 2; accedit *largiter* Cato rell. 43, 10. Sed nonne mirum est, quod hoc *largiter* verbo excepto uniuscuiusque illarum vocum stirps in *-r* litteram exit, duarum vocum in *-er*? Itaque conicere audeo primas formas *asperiter*, *prosperiter* formatas esse per analogiam vocabuli *celer-celeriter*. Deinde haec formatio relata est ad ea quoque declinationis secundae adiectiva, quorum stirps in *-r* litteram alia atque *e* littera praecedente exibat, velut ad *avariter*, *puriter*. Sed si hoc ita est, dubium videtur, an ex iis formis, quas supra in tabulam coegi, huc pertineant atque usitatae illis temporibus formae putandae sint etiam haec: *miseriter* et *properiter* atque *duriter*, *prognariter*, *severiter*. Denique huc necessario mihi videtur referenda esse *temeriter* quoque forma; quae si fieri posse concesseris, ut eadem illa ratione formata poetarum scaenicorum temporibus usitata fuisse putetur, quid mirum videbitur, quod Acc. trg. 96 legitur loco nullo ex illis legitimis. Ceteras vero in *-iter* excidentibus formas, quas supra in tabula attuli, praeter *largiter* formam omnes mere poeticas esse mihi persuasum est. Attamen de his formis quid re vera iudicandum sit, non explanatum iri puto, nisi in universum adverbiorum apud veteres poetas scaenicos, Catonem, Lucilium usum inquiretur, id quod hoc loco facere nequeo. Atque tum demum apparebit, ut exemplum afferam, quae tribus ex formis *larje*, *largiter*, *largitus* illis temporibus usitata fuerit, quae poetica atque quid de forma tertia sentiendum sit.

47) cf. Hodgman: Class. Quart. I (1907) p. 97. - Plaut. Men. 510

dedi nec pallam surrupui # satin sanus es

codicibus omnibus praeter A, qui deest, traditur *surrupui* forma Pro qua forma, cum in diaeresi ante ultimam dipodiam iambicam exstet, haud scio an Hodgman suo iure *surrui* restituendum esse censuerit. Sed Plaut. Poen. prol. (ceterum variis recensionibus retractati) v. 66:

puer septuurnis surripitur Carthagine

Hodgman illam formam item codicibus omnibus praeter A, qui deest, traditam iniuria mihi videtur mutare velle, praesertim cum idem versus Poen. argum. v. 1 eodem modo tradatur. Quo argumenti versu non magis Plautinum esse prologi versum illum 66 statuit Schueth: De Poen. Plaut. quaeest. critic. (Diss. Bonn 1883) pag. 15.

Aliae huius verbi formae apud veteres poetas scaenicos per syncopam non leguntur nisi *surptus*.

Brock et Jacobsohn in opusculis allatis praeterea attulerunt complures alias formas, quas consulto non inserui in tabulas meas. Nam de *sat est* (cf. Brock l. c. p. 94; Hodgman: Class. Rev. XVII (1903) p. 302) valde dubito an huc pertineat, quia adverbii forma *sat* cum aliis verbis coniuncta non semper exstat illis versuum locis solis atque etiam *sat est* bis (cf. Plaut. Rud. 292; Stich. 91) aliis versuum locis invenitur, semel (Plaut. Rud. 583*) verba seiuncta leguntur. In soluta autem oratione antiqua leguntur hae voces: *cottidie* (cf. Brock l. c. p. 92/93) in Catonis libro de agricult. 23, 4; 25; 67, 2 (bis); 69, 1; 88, 1; 88, 2; 89; 140; 143, 2; 156, 6; 160; *denuo* (cf. Brock l. c. p. 93) Cato de agric. 20, 1; 87; 91; 95, 2; *temperi* (cf. Jacobsohn l. c. p. 42/43) Cato de agric. 2, 1; 3, 4; *rectius* (cf. Brock l. c. p. 94) Cato de agric. 5, 5; 33, 3. Quare hae voces neque archaicae neque nove formatae, sed formae illis temporibus usitatae putandae sunt atque fortuito accidisse apparet, ut apud veteres poetas scaenicos nunc nisi singularibus illis versuum locis non occurrant. Ceterum non aliter videtur iudicandum esse de *interdiu(s)* verbo (cf. Engelbrecht l. c. p. 73), quod verbum, quamquam apud veteres poetas scaenicos nisi illis versuum locis non exstat, tamen legitur in Catonis libro de agric. 54, 1; 124.

De formis *addecet* et *condecet* (cf. Brock l. c. p. 91) dicere supersedi, quia has formas non solius iambici exitus causa adhibitas esse apparet; quam ad rem *decet* verbum simplex sufficebat.

Deinde omittere liceat perfecta illa *oblitus fui, vectus fui* etc., de quibus Brock l. c. p. 90 et Hodgman in Class. Quart. I (1907) p. 49/50 egerunt. Quae conformationes fusius tractandae sunt quam hoc loco fieri potest. Eadem autem de causa hic neglegam illa substantiva, quae a principio *-lo > -elo* suffixo finiebantur, sed apud veteres poetas scaenicos, ubicumque in versuum aut colorum finibus iambicis exstant, Svarabhakti quae dicitur vocali aucta leguntur (cf. Jacobsohn l. c. p. 10/11; Hodgman: Class. Rev. XVI (1902) p. 303/4).

Atque si de his formis egissem, qui poteram non agere de verbis deminutivis**) iis, quae in versuum colorumve finibus iambicis inveniuntur notione deminutiva orbata? Qui poteram non disserere de frequentativorum apud veteres poetas scaenicos usu atque de non paucis aliis formis similibus? Sed longum est de his omnibus agere in hac disputatione; itaque haec quidem haec nus!

*) Sed in hoc versu Leonem propter sententiam bis offendere monendum videtur.

**) cf. O. Seyffert; Bursiani annal. vol. 80 (1894) p. 228.

Ex his tabulis quid concludi possit priusquam explicare conabor, admodum est in tribus vocibus sive archaicis sive non archaicis aut unum exemplum aut plura exempla occurrisse, quae neque sub legitimorum illorum locorum numeros inserere me posse professus sum neque equidem mutare audeo. Hae voces sunt 22) *fuam* etc., 34) *clanculum*, 44) *gentium*. Quare cum valde dubium esse videatur, huicne pertineant illa verba necne, ea neglegere malo in legibus constituendis, praesertim cum satis magnus sit numerus verborum minime dubiorum.

Atque primum quidem contra sententiam Brockii eorumque, qui cum eo faciebant, liquido apparet illas voces et archaicas et non archaicas aliis quoque versuum locis legitime stare atque in finibus versuum in iambum exeuntium aut ante diaeresin mediam septenariorum octonariorumque iambicorum aut ante caesuram mediam septenariorum trochaicorum. Et Jacobsohn iam recte addiderat locum, qui est ante ultimam dipodiam iambicam in senariis octonariisque iambicis et in septenariis trochaicis. Qui vir doctissimus cum copiam exemplorum non satis magnam attulerit, nunc numerum meorum quae congesti exemplorum quaeso contempleris, in quibus tamen exemplis excutiendis archaismos veros a vocibus non archaicis separare neque me certo posse neque opus esse supra dixi. Itaque ante ultimam dipodiam iambicam exstant in illis versibus exempla 76 certa et 29 incerta i.e. aut correcta aut dubia. Ergo de hoc loco non iam potest dubitari. Deinde ante II. thesin septenarii trochaici exempla vides 17 certa et 6 incerta; accedit 1 exemplum ante II. thesin octonarii trochaici. Ante III. thesin septenarii vel octonarii iambici habes exempla 12 certa, ante III. thesin senarii iambici exempla 19 certa et 2 incerta. Igitur ne de his quidem versuum locis qui alius alium fulciunt, ambigere mihi videtur licere. An omnia haec exempla, quorum summa est exempla 49 certa et 8 incerta, corrupta atque emendanda esse censebis? Denique ante III. thesin septenarii trochaici exstant exempla 8 certa et 2 incerta, ad quae accedit 1 exemplum ante IV. thesin octon. iamb. Ex quo numero mihi quidem videtur satis certo concludi posse hunc quoque locum legitimum putandum esse.

Sed restant exempla 30, quae in haec legitimarum, quas vocavi, sedum genera inserere non potui. Atque cum ex ceteris omnibus apparere visum sit numerum sedum legitimarum multo maiorem fuisse quam Brock eique, qui cum eo consentiebant, adhuc crediderunt, nunc quidem dubium esse arbitraris, an ex his 30 quae restant exemplis concludi oporteat amplectendam esse sententiam Hauleri et Stangii, qui viri doctissimi talium vocum usum apud veteres poetas scaenicos nullis legibus certis omnino astrictas fuisse defendunt. At num quisquam credet re vera legem eam, quae 1321 exemplis nititur, funditus everti posse 30 exemplis contrariis, praesertim si quo modo reliquiae scaenicae poeseos antiquae usque ad nostram aetatem pervenerint, secum reputat?

Sed ne me opinione quadam praeiudicata captum decipi credas, tabellam proponam illorum 30 exemplorum contrariorum, ex qua tabella apparebit, quo quidque versuum loco collocatum sit. Nam tum quidem demum re vera cog-

noscetur, num qui alius quoque locus satis multis exemplis ut legitimus probari videatur. Secernam autem tria capita, in quorum unum colligam ea exempla, quae exstare videntur locis ita corruptis, ut ex his exemplis nihil certi concludi possit; sub alterum caput cogam ea exempla, quorum exitus iambici aut pyrrhichici in versibus leguntur alio numero praediti atque numero iambico solito; in ultimo autem capite inveniuntur ea exempla, quae metri causa necessario emendanda sunt.

Itaque iam legas sis hanc tabellam.

	a) ante II. thesin sonarii iambici	b) ante II. thesin octonarii iambici	c) ante IV. thesin octonarii iambici	d) ante VI. thesin octonarii iambici	e) ante V. thesin septonarii trochaici	f) in versibus non satis certo traditis locis plane dubiis	g) exempla, quorum exitus iambici aut pyrrhichici non solito numero iambico decurrunt	h) exempla propter metrum neces- sario corrigenda
2) <i>dextera</i>						Plant. Am. 333.	Ter. An. 500.	An. 689.
7) infinitivi in <i>-ier</i> exeuntes								Plant. Tri. 952.
9) <i>noveris</i>		Plant. Pe. 256.				Acc. trg. 102.		Am. 157.
13) <i>danunt</i>							Plant. Am. pr. 106, Au. 495, Cas. 514, Mer. 839, Mi. 261, Poe. 1405, Ru. 321, Tru. 897, Hau. 826, Eu. 562, He. 334.	
19) <i>tulat</i>								
21) <i>stem</i> etc.						Pac. trg. 172		
25) <i>tetinerim</i>	Ter. Ad. 83 (cf. append. I).							
27) <i>non queo</i>								
29) <i>mavelim</i>								
37) <i>postibi</i>								
38) <i>quaepiam</i>					Plant. Mi. 1418.			
39) <i>nunciam</i> (cf. append. III).				Plant. St. 292. (cf. append. II). Plant. Mer. 356.				
46) <i>temeriter</i>			Plant. Ba. 995.		Poc. 374, Ru. 1051. Acc. trg. 96.			Plant. Ps. 186.

Neque vero inutile esse mihi videtur hos locos singulos hic exscribere eosque ita, ut, ubi forma poetica ex versu praecedente repetita esse possit, hunc quoque versum afferam. Proinde videas quaeso exempla

- 2) *dextera*
 f) Plaut. Am. 333: *hinc enim mihi dextera vox auris, ut videtur, verberat.*
 7) infinitivorum in *-ier exeuntium*
 g) Ter. An. 500: *mihin quisquam? # cho, an tute intellexi hoc adsimularier? # inrideor.*
 h) Ter. An. 689: *sicine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier (in septenariis iambicis).*
 9) *noveris*
 h) Plaut. Tri. 952: *noverisne hominem? # ne tu me edepol arbitrare beluam.*
 13) *danunt*
 b) Plaut. Pe. 256: *danunt, argenti mutui ut ei egenti opem adferam.*
 19) *tulat*
 f/g) Acc. trg. 102: *nisi quid tua facultas nobis tulat opem, peream . . .*
 (ita apud Ribbeckium, qui cum Bothio quod in quid mutavit et praeterea ipse opem, peream pro operam coniecit).
 21) *siem* etc.
 a) Ter. Ad. 83: *siet, quid tristis ego sim? # dixin hoc fore?*
 g) Plaut. Am. pr. 105/6: *quam liber harum rerum multarum siet quantusque amator siet quod complacitum est semel.*
 „ Au. 495: *sient viliores Gallicis cantheriis.*
 „ Cas. 513/14: *quo id quoi paratum est ut paratum ne siet sietque ei paratum quod paratum non erat.*
 „ Mer. 839: *ubi qui amici, qui infideles sient nequeas pernoscere.*
 „ Mi. 261: *qui fuerit conservos qui hodie siet sectatus simiam.*
 „ Poe. 1404/5: *quantum audivi ingenium et mores eius quo pacto sient.*
 # *mi (D, ni BC) pater, ne quid tibi cum (nequit tibi quom B) istoc rei siet pessumo (Leo coni. pro ac massum), obsecro.*
 „ Ru. 321: *cum istius modi virtutibus operisque natus qui siet (in septenariis iambicis).*
 „ Tru. 897: *potine ut mihi molestus ne sies? # ecquid, Astaphium, litiumst? (versus finem ex quid ast apilitiumst (-um est B) corr. Spengel (ecquid Buecheler)).*
 Ter. Hau. 826: *sed pater egreditur. cave quicquam admiratus sies.*
 „ Eu. 562: *narra istuc quaeso quid siet. # immo ego te obsecro hercle ut audias.*
 „ He. 334: *capiti atque aetati illorum, morbus qui auctus siet (cf. v. 330: si forte morbus amplior factus siet).*
 h) Plaut. Am. 157: *nec causam liceat dicere mihi, neque in ero quicquam auxiliii siet.*
 Ter. Ph. 825: *quin si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probro siem (in septenariis iambicis).*

Ter. He. 246: *atque eccum Phidippum optume video: hinc iam scibo hoc quid siet (in septenariis iambicis).*

- 25) *tetinerim*
 f) Pac. trg. 172: *[tuo] sub iudicio quae omnes tetinerim grados (tuo om. libri, coni. Ribbeck; tetinerim grados Vossius, grados tetinerim libri, Graios tetinerim dubitanter Buecheler).*
 27) *non queo*
 d) Plaut. St. 292: *qui vehar, nam pedibus ire non queo. ergo iam (nam AP) revortar.*
 29) *mavelim*
 d) Plaut. Mer. 356: *hocine est amare? arare mavelim, quam sic amare.*
 37) *postibi*
 e) Plaut. Mi. 1418: *verberetur etiam, postibi amittendum (A, post tibi amitte dum P) censeo.*
 38) *quaepiam*
 g/h) Plaut. Ps. 186: *ne dictum esse actutum sibi quaepiam vostrarum mihi neget.*
 39) *nunciam*
 c) Plaut. Ba. 995: *hoc age sis nunciam (iam nunc CD) # ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.*
 e) „ Poe. 374: *si ante quid mentitust (A, quidem entitus sit B, quidem mentitus sit CD), nunciam dehinc erit verax tibi.*
 „ Ru. 1051: *ite, inquam, domum ambo nunciam ex praesidio praesides.*
 46) *temeriter*
 e) Acc. trg. 96/7: *hocin re est, quo tu tam temeriter meam benevolentiam interisse es ratus? . . .*

Itaque in ultimo capite tabellae exempla 5 inveniuntur, quae metri causa necessario corrigenda sunt; quae si corriguntur, restant 25 exempla contraria. Quorum in 13 exemplis exitus iambici aut pyrrhichici alio atque solito numero iambico leguntur. Atque pleraque huius modi exempla in formis *siem* etc. occurrunt. Si vero Stangio id quod de usu Terentiano defendit, concessum erit, ne apud Plautum quidem illas formas alio numero praeditas atque solito iambico legi potuisse agnoscendum est. Neque aliter atque de formis *siem* etc. iudicandum est de infinitivorum in *-ier exeuntium* exemplis similibus. Atque maxime id considerandum est haec 16 exempla, cum alio accentu praedita legantur atque cetera omnia, ob id ipsum contra cetera omnia stare. Ergo aliquo modo corrigenda sunt; an contra 1321 fere exempla eodem accentu praedita servanda videntur 13 exempla contraria? Quae si corrigenda esse conceditur atque etiam ea exempla, quae nimis incerto tradita esse videntur, omittuntur, manent 9 exempla. Hic autem numerus tam exiguus iterum minuitur, si excipiuntur versus ei, quos corruptos esse manifestum est vel ex aliis argumentis.

Nunc vero, cum restare videatur exemplorum contrariorum numerus minor quam quo stabiliri possit illa sententia Hauleri Stangiique, qui viri tales formas a

veteribus poetis scaenicis omnibus versuum locis adhiberi potuisse dicebant, sententia illa refutata demonstratum esse arbitror illas voces sive archaicas sive non archaicas re vera pertinere ad illas versuum sedes solas, quas tractavi.

Atque nunc quidem cum has voces archaicas aut nove formatas apud veteres poetas scaenicos illis versuum locis solis inveniri constet, tempus videtur esse quaerere, cur tandem veteres poetae scaenici his vocibus non usi sint nisi illis locis solis. Ad id respondere conatus est Jacobsohn l. c. pag. 8/9; sed erravisse mihi videtur, quod tantummodo de archaismis disputandum esse arbitratus non cogitavit de ceteris formis. Atque in hac re mihi videntur multo digniora quae laudentur ea quae Brock l. c. pag. 94—97 exposuit. Attamen eum quidem veram explicationem dedisse crediderim. Quare equidem quid sentiam, hoc loco paucis complectar, quamquam pleraque iam in adnotationibus dixi. Et primum quidem quod illae voces nullis aliis nisi singularibus illis versuum locis inveniuntur, vel inde apparet eas veterum poetarum scaenicorum temporibus non fuisse omnium in usu atque eas recte appellari aut archaicas aut nove formatas. Accedit, quod apud veteres poetas scaenicos aliis versuum locis quibusvis exstare vidimus eas formas, quibus Romani in sermone vulgari pro illis inusitatis uti consueverant. Itaque potius hoc modo videtur quaerendum esse, cur poetae scaenici illis versuum locis solis non usi sint formis usitatis, usi sint inusitatis. Num Romani illis temporibus studiosi erant talium sive vocum archaicarum sive formationum praeter illas τοῦ γελοίου ἕνεκα temptatas noviciarum? At licet ita fuerit, id quod in veteres poetas scaenicos cadere nego, tamen non intellegi possit, cur poetae soli his formis usi essent atque non usi essent nisi illis versuum locis solis. Sed ne illud quidem concedendum censeo Romanos illa aetate talibus formis inusitatis fuisse. Quodsi poetae scaenici his formis sua sponte non usi esse putandi sunt, sequitur ut inviti usi sint atque adeo uti coacti sint. Et qua alia necessitate poetae cogi potuerunt, ut illas voces inusitatas adhiberent easque certis versuum locis solis, nisi necessitate metrica? Itaque quae haec metri necessitas fuerit quaeritur. Videtur autem existimanda esse ea, quae omnium illorum locorum communis fuerit. Atque quid hoc aliud fuisse potest nisi id, ut omnibus illis locis et medio in versu et in versuum finibus iambicis opus esset verbo, quod in iambum aut pyrrhichium exiret. Quod si necesse erat, verba usitata velut *populus*, *dextra*, *sinistra*, *gnarus* etc. non conveniebant in illas versuum sedes. Si vero poetae talia verba metro non apta evitare non poterant, i. e. si in sermone usitato habebant parum multa verba, quae in iambum aut pyrrhichium exirent, quid aliud eis faciendum erat nisi ut aut formas idoneas ex sermone antiquo repeterent aut, ubi ne id quidem liceret, formationes novas temptare auderent?

Haec si probabilia sunt, explicatum esse videtur non modo, qua de causa veteres poetae scaenici illis vocibus atque formis inusitatis, sive archaicae sive nove formatae appellandae sunt, omnino uti ausi sint, sed etiam, cur eis non usi sint nisi in illis versuum sedibus legitimis quas dixi solis. Atque explicationem meam non discrepare vides cum ea, quam de similibus in dactylica poesi latina verbis dedit fusiusque tractavit Ernst Bednara in egregia illa disputatione, quam inscripsit „De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones (Archiv für

lat. Lexikogr. und Gram. vol. XIV (1906) p. 317—360 et p. 532—604), quamquam in iambica poesi rem non multo aliter se habere atque in dactylica ne Bednaram quidem intellexisse apparet ex primis eius praefationis verbis. Sed mea quidem sententia illorum remediorum, quae a poetis Romanis adhibebantur ad necessitatem metri superandam, pleraque iam a Livio Andronico inventa atque ab eo primo adhibita sunt, quae Ennius ad dactylicam poesin accommodavit.

Quid multa? Gravissimae proprietates sermonis poetici sive poseos scaenicae sive dactylicae quo modo ortae sint, vides. Restat ut de poetarum scaenicorum in iambis et trochaicis sermone tractetur ratione simili atque qua Bednara fecit de dactylicorum poetarum sermone. Quod facere hoc loco non iam possum; satis habeo, quod potuerim, demonstrasse necessitatem metricam in veterum poetarum scaenicorum versibus iambicis et trochaicis non minus valuisse quam in dactylica poesi.

Nunc autem in extrema iam disputatione mea continere me non possum, quin in tabula nova universum praebeam omnium praeter tres illas dubias vocum et archaicarum et non archaicarum quas tractavi conspectum. Atque in huius tabulae columnis II—VII exempla certa a minus certis ita secernam, ut haec minus certa uncis inclusa addam exemplis certis.

	I)	II)	III)	IV)	V)	VI)	VII)	VIII)	summa
	in finibus sen- tentiis aut octo- septem. troch.	ante diacrosin mediam septem- syllabicam aut ante caesura- ram mediam septem. troch.	ante ultimam syllabicam in sen- tentiis aut octo- syllabicam aut septem. troch.	ante II thesin septem. troch.	ante III thesin septem. vel octo- syllabicam.	ante III thesin sen. iamb.	ante III thesin septem. troch.	corundem ver- sum locis aut alibi au. dubiis	
1) <i>populus</i>	9	1 (+ 1)	(1)			1			12
2) <i>dextera</i>	11	(1)	2 (+ 3)	3			2	1	24
3) <i>sinistera</i>	2								2
4) <i>gnaruris</i>	1	(1)	1						1
5) <i>anceps, praecipies</i>	1								3
6) imperativi in - <i>mino</i>	2	1						2	3
7) infinitivi in - <i>ter</i>	227	6 (+ 1)	1		1				238
8) infinitivi in - <i>ssere</i>	7								7
9) perfecta in - <i>ei</i>	150	7 (+ 1)	7		1		1	1	172
10) III. pers. pl. perf. in - <i>erunt</i>	8	1 (+ 1)	2				(1)		13
11) <i>blatis</i>	3		1						3
12) <i>antidit</i>	12	(1)	(1)					1	1
13) <i>danunt</i>	51	1 (+ 2)	2 (+ 3)	(1)					15
14) <i>duam, duim</i> etc.	4		1						61
15) <i>coepio</i> etc.	9	1		1 (in octo- troch.)			1		5
16) <i>contuit</i> etc.	13	2	2 (+ 1)	(3)					12
17) <i>conspicor, conspicer</i>	6								18
18) <i>tago</i> etc.	2		1 (+ 1)						9
19) <i>tulit</i> etc.	10	(1)	(8)					1	5
20) <i>advenat</i> etc.	234	8 (+ 3)	8 (+ 2)	2				15	19
21) <i>siem</i> etc.	36		1	1					272
22) <i>reddido</i>	2	(1)	(1)						38
23) <i>feri, ferem</i>	2			1					3
24) <i>redidit</i>	2	(1)	(1)					1	6
25) <i>teinerim</i> etc.	17								18
26) <i>quam</i> etc.	17	2	3	2				1	25
27) <i>non quoc</i> etc.	3								4
28) <i>nequis, nequit</i>									

29) <i>navolo</i> etc.	21	1	5						28
30) <i>nevis, nevolt</i>	9	1 (+ 1)	2 (+ 1)					1	14
31) <i>non velis</i> etc.	6								6
32) <i>ad/aitim</i>	5		2						9
33) <i>antidhaec</i>	10					(1)			10
35) <i>extempulo</i>	6	(1)							8
36) <i>gratis, ingratis</i>	21	1 (+ 1)	(2)	(1)					26
37) <i>postūi</i>	5							1	6
38) <i>quispiam</i> etc.	22	2	13 (+ 1)			7		1	48
39) <i>nūctiam</i>	27	8 (+ 1)	9 (+ 2)			3 (+ 1)	2 (+ 1)	3	64
summa formarum archa- icarum	971	43 (+ 18)	63 (+ 28)	12 (+ 5)	11	16 (+ 2)	8 (+ 2)	29	1208
40) <i>divar, diver, divitem</i> etc.	18	1	1	1	1				24
41) <i>laridum</i>	2		1	1		2			4
42) <i>acriter, acritus, acritas</i>	11								11
43) adiectiva in - <i>cius</i>	15	1	1			1			18
45) <i>loci</i>	16	2		1			1		20
46) adverbia in - <i>ter</i>	42	4 (+ 1)	10	3 (+ 1)				1	62
47) <i>surpui, surpuit</i>	3		(1)						4
summa formarum aut certo aut probabiliter non archaicarum	107	8 (+ 1)	13 (+ 1)	6 (+ 1)	1	3	1	1	143
summa formarum archa- icarum et non archa- icarum	1078	51 (+ 19)	76 (+ 29)	18 (+ 6)	12	19 (+ 2)	9 (+ 2)	30	1351

Appendix.

I.

Ter. Ad. 82,83.

In prima scaena Adelphorum fabulae Terentianae Micio senex cum secum loquitur, queritur, quod Aeschinus, alter ex Demeae fratris filii, quem ipse adoptaverat, prima luce non iam rediit a cena. Attamen cum adulescenti indulgeat, se multo melius agere contendit quam fratrem illum severum atque durum, qui saepe ad se veniat clamans: „*quid agis, Micio? quor perdis adulescentem nobis* etc.“ Tum vero fratrem ipsum aggredientem aspicit. Ac nunc quidem quae Terentius Micionem fingit facientem verba et quae deinceps sequuntur ipsa legas:

78 *sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.*

nescio quid tristem video: credo, iam ut solet

80 *iurgabit. salvom te advenire, Demea,*

gaudemus. DE. Ehem opportune: te ipsum quaerito.

MI. *Quid tristis es? DE. Rogas me ubi nobis Aeschinus*

siet, quid tristis ego sim? MI. Dixin hoc fore?

84 *quid fecit? DE. Quid ille fecerit? quem neque pudet etc.*

Atque tum quidem Demea re vera obiurgare incipit atque obicere fratri ea quae Aeschinum hac nocte fecisse audiverat flagitia.

Initium autem versus 83 corruptum esse postquam Ritschl intellexit, et ipse et multi alii viri doctissimi locum corrigere studuerunt. Qui quam varia et qualia temptaverint, videas in Dziatzkonis et Kaueri editione (a. 1903), in append. critic.—exeget. pag. 148/49. Atque Kauer mihi videtur recte iudicasse, quod *siet* formam servare maluit quam ullam ex illis emendationibus accipere. Quas ne me singulas refutaturum esse expectes, quod facere longum est hoc loco, proponam emendationem novam, qua formam versus primariam recuperatum iri spero.

Atque hoc quidem iam saepe dictum est *siet* formam archaicam hoc versus loco falsam esse. Idem autem versus alteram habet offensionem, quae neque cognita erat adhuc neque ulla illarum emendationum sublata. Nam si quis de illa lege a Wackernagelio*) demonstrata cogitabit, quo loco *ego* voculam collocandam fuisse putabit? Nempe post *quid*, praesertim cum metrum

*) cf. Wackernagel: Indogerman. Forsch. I (1892) p. 413; praeterea cf. cum G. Kaempf: De pronominum personalium usu et collocatione apud veteres poetas scaenicos Romanorum (Diss. Berlin 1885 et in Berliner Studien für klass. Philologie und Archaeologie III (1886) p. 31/32 tum E. Kellerhoff: Studem. Stud. II (1891) p. 55/56.

minime obstaret. Haec vocula *ego* quia non loco suo proprio exstat, suspicionem movet atque etiam dubitari potest, conveniatne omnino in hunc conexum.

Neque solum initium huius versus corruptum est, sed etiam pars posterior praecedentis versus. Nam si Micionis quaestionem *quid tristis es?* respicis, credibilene videtur Demeam respondere posse *rogas me ubi nobis Aeschinus siet?* Num Micio hoc quaesivit aut omnino quaesivisse putari potest? Sed nonne iam vides in Demeae oratione ad verba *rogas me* nihil aliud pertinere nisi verba *quid tristis ego sim* atque reliqua verba in manuscriptis scribarum culpa falso loco inserta esse? Si vero verba illa casu fortuitoque modo separata reconciliantur, non iam versus senarius iambicus existit in v. 82. Sed ut existat, perfacile factum est; nam si suspiciosum illud verbum *ego* expellitur atque praeterea in fine versus *siem* pro *sim* legitur, haec senarii iambici forma ab omni vitio vacua apparet:

MI. *Quid tristis es?* DE. *Rogas me, quid tristis siem?*

Illa autem quae restant verba *ubi nobis Aeschinus siet* nunc nullo alio loco videntur collocari posse nisi initio versus 83. Atque *ego* vocula certo nusquam maiore iure inseritur nisi post ultimum illorum verborum, scilicet post *siet*. Itaque nunc versus 82/83 hoc modo leguntur:

MI. *Quid tristis es?* DE. *Rogas me, quid tristis siem?*

ubi nobis Aeschinus siet ego? MI. *Dixin hoc fore?*

Quorum versuum in posteriori⁷⁸metrum negligere liceat in praesentia neque quicquam aliud nisi sententiam conexumque verborum spectare. Atque haud scio an in versu posteriore *siet* forma coniunctiva itemque *ego* vocula sensu carere videatur. Sed haec difficultas tolletur, ubi ad *ego* illam voculam ex enuntiato praecedenti verbum *rogo* vel *rogo te* supplendum esse concesseris. Itaque Demea, ubi primum frater, qui recentiorum illorum Aeschini flagitiorum ipse ignarus est, eum interrogavit *quid tristis es?*, statim iratus memoria facinorum filii, quem frater adoptaverat, huic obicere putandus est: *rogas me, quid tristis siem? ubi nobis Aeschinus siet ego (te rogo)*. Agnoscis iam, quam apta verba nunc hoc loco posita sint. Quid quod nunc demum Micionis quoque verborum insequentium sententia vera apparere videtur, quam Dziatzko recte explicavit. Micio enim verba *dixin hoc fore* ad spectatores vel potius secum loquitur respiciens ad ea, quae in versibus 79/80 dixit: *credo, iam ut solet iurgabit*. His igitur verbis nihil aliud potest dicere nisi hoc „*ecce ille, ut dixi, denuo iurgare incipit*“. Micio vero qui potest hoc dicere, si Demea verbis praecedentibus minime iam iurgavit, sed versu 84 demum iurgare incipit, id quod permulti illorum, qui versum emendare conati sunt, credidisse videntur?

Hoc modo postquam loci sententiam veram mihi videor recuperasse, spero me metricam quoque versus 83 formam genuinam restituere posse. Restant autem ad hunc versum restituendum haec verba:

ubi nobis Aeschinus siet ego. MI. Dixin hoc fore?

In hoc versu duae syllabae abundant. Sed cum nullum ex his verbis a principio ineptum esse videatur, quaerendum est, quodnam verbum fieri possit ut tollatur. Atque equidem nullum aliud verbum tolli posse video nisi *nobis*. Id si eicitur, versus speciem fere habet senarii iambici. Attamen non plane

caret offensione. Nam *siet* forma archaica hoc versus loco ferri non potest. Pro qua forma archaica si *sit* forma restituitur, versui deest una syllaba. Sed iam supra supplenda nobis videbatur *te* vocula, quae respondeat *me* voculae, quae exstat in versu praecedenti. Illa autem vocula *te* si post *ego* inseritur, *sit* forma usitata pro *siet* restituta hic quoque versus 83 ad formam primariam revocatus esse mihi videtur. Atque amborum versuum 82 et 83 formam genuinam hanc fuisse contendo:

MI. *Quid tristis es?* DE. *Rogas me quid tristis siem?*
ubi *Aeschinus sit, ego te.* MI. *Dixin hoc fore?*

Quoniam versuum formam primariam restituisse mihi videor, nunc explicare necesse est, quo modo fieri potuerit, ut haec forma corrumperetur in eam quam nunc et in codicibus omnibus et apud Donatum ad Ter. Ad. 789 legimus formam. Atque primum concedendum est initium corruptelae inde ortum esse, quod altera ex Demeae quaestionibus aliquando omissa erat a librario; deinde in margine suppleta atque postea in libris falso loco inserta erat. Sed dimidiam versus partem omitti non potuisse notandum est, nisi scriptura continua erat ita ut non singuli versus singulis lineis distribuerebantur. Quodsi quis quaerat, utra ex Demeae quaestionibus primo excidisse existimanda sit, equidem respondere malim: *quid tristis siem*. Haec autem verba in codice descripto in margine ita adscripta fuisse necesse est, ut ii qui postea hunc codicem describerent, facere non possent, quin *quid tristis* verba ante *ego* verbum et *siem* verbum post *ego* insererent. Itaque rem fere ita fuisse puto:

quid tristis siem *rogas me ubi Aeschinus sit*
ego te # dixin hoc fore

Haec si ita ut supra dixi transcriberentur, in codice novo non iam poterant versus legi. Attamen haec difficultas non magna videri debebat; nam si *sit* forma, quae in finem versus pervenerat, in *siet* mutabatur, metrum quidem in utroque versu sine offensione erat. Atque equidem re vera aliquem, qui hunc novum codicem corrigebat, metri causa e litteram verbo *sit* suprascripsisse puto.

Tum vero aliud quoddam atque gravissimum accidit neque scio an acciderit per illum correctorem ipsum. Supra enim vidimus hoc quidem loco Demeam senem ipsum primum obiurgantem induci a poeta; sed haec non prima eius obiurgatio est, de qua docemur; nam Micionem v. 60 sqq. iam aliam fratris obiurgationem attulisse supra commemoravi. Dicit enim Micio illo loco:

venit (scil. frater) *ad me saepe clamans 'quid agis, Micio?*
quor perdis adolescentem nobis? quor amat?
quor potat? quor tu his rebus sumptum suggeris,
vestitu nimio indulges? nimium ineptus es'.

Quid autem mirum, si, ut nunc versus 82/83 apud Donatum ad versum 789 adscriptos videmus, ita aliquando initium primae illius obiurgationis ad initium obiurgationis secundae in margine adscriptum erat; tantum quod debebat ita adscriptum esse, ut *nobis* vox postea ab eo, qui nove descripsit, facile

posset inseri in Demeae orationem ipsam atque post *ubi* verbum. Itaque in illo codice hic locus fere ita videtur scriptus fuisse:

. *quid agis Micio quor*
perdis adolescentem
. *quid tristis es rogas me ubi nobis*

Aeschinus sit quid tristis ego siem te # dixin hoc fore

Haec si ita ut dixi describerentur, metrum iterum perturbatum videri necesse erat. Attamen alter versus si verbo *Aeschinus* finiri putabatur, sine offensione erat; sed alter versus longior erat quam oportebat. Quam ob rem aliquis eum corrigendum censuit atque corrigere conatus est, cum primum e litteram verbi *siem* deleret, deinde *te* voculam, quae hoc loco iam omni sensu carere videbatur, exstingeret. In hoc igitur codice hic locus sic fere scriptus fuisse putandus est, nisi quod dubium est an ne in hoc quidem codice singuli versus singulis lineis distributi fuerint:

quid tristis es # rogas me ubi nobis Aeschinus
siet quid tristis ego siem te # dixin hoc fore.

Haec illorum versuum forma est ea, quae, si in his tenebris aliquid hariolari licet, oblinuisse videtur iam in eo codice, quo Donatus usus est et in nostrorum qui aetatem tulerunt omnium archetypo.

II.
Plaut. Stich. 292.

In Stichi fabula Plautina sorores duae cupide expectant maritos, qui et ipsi fratres sunt, iam tertium annum domo absentes. Illae cottidie ad portum mittunt Pinacium servolum, si quem de illis nuntium audiat. Is puer cum hoc die, quo fabula agitur, illos in portu navem appellentes aspexerit, exsultans laetitia domum recurrit, ut dominam eiusque sororem certiores faciat eos adesse. Atque in principio actus secundi scaenam ingressus iam prope domum est, cuius domus porta spectatur scaenae ex parte contraria ei, ex qua Pinacium scaenam intravit. Hic autem repente inflatus atque superbus factus propter gravissimum nuntium, quem relaturus est, domum currere desinit atque consistens haec dicit v. 290 sqq.:

- 290 *Sed tandem, opinor, acquiust eram mihi esse supplicem*
atque oratores mittere ad me donaque ex auro et quadrigas,
qui vehar, nam pedibus ire non queo. ergo iam revortar.
ad me adiri et supplicari egomet mi aequom censeo.
an vero nugas censeas, nihil esse quod ego nunc scio?
- 295 *tantum a portu adporto bonum, tam gaudium grande a'fero,*
vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare ab dis audeat.
nunc ultro id deportem? hau placet, neque id viri officium arbitror.
sic hoc videter mihi magis meo convenire huic nuntio:
adversum veniat, opsecret, se ut nuntio hoc impertiam;
- 300 *secundas fortunas decent superbiae.*
sed tandem cum recogito, qui potuit scire haec scire me?
non enim possum quin revortar, quin loquar, quin edisserterem
- 303 *eramque ex maerore eximam etc.*

Tum vero statim domum redire constituit, redit ianuamque pultat.

Versus 292 autem dimidiam partem posteriorem, qualis nunc legitur, corruptam esse contendo. Primum enim nusquam nisi in recensione Itala legitur *ergo iam*; in ABD traditur *ergo nam* et in C *ego nam* omissa r littera. Atque am litteras in iam corrigendas esse sane concedendum est. Sed n litteram non puto esse corruptelam i litterae, verum residuam partem alterius cuiusdam vocis, cuius nullum iam aliud exstat vestigium.

Haec autem vox perdita quanam fuerit priusquam conicere audeam, spectandum est, sanusne sit sensus loci, quem corruptum dico, scilicet verborum *ergo iam revortar*. Quibus ex verbis *revortar* verbum mihi videtur afferre dubitationem sane gravissimam. Id enim ita ut hoc loco legitur nihil aliud potest dicere velle nisi hoc: redibo ad portum. Tum vero v. 302 eandem formam habemus ne ipsam quidem auctam adverbio locum petitum indicante, sed sensu plane diverso: domum redibo. Eandemne igitur eiusdem verbi formam a poeta adhibitam esse credemus plane contraria praeditam notione in versibus duobus, qui non modo non pluribus novem aliis versibus intermissis separantur sed etiam alter alteri manifesto respondent? Minime. Atque de verbi in v. 302 significatione et usu ne ex ampliore quidem loci conexu ulla dubitatio movetur. Sed diligentius contempleris, quaeso, extrema illa versus 292 verba, scilicet *ergo iam revortar*, quae verba nihil aliud posse significare supra vidimus nisi hoc: ergo iam ad portum redibo. Num his verbis dictis puer re vera ad portum redit? Immo vero loco non cedit atque etiam postquam post v. 300 ad tempus loqui desinit, non dicit se nunc ad portum profecturum esse, sed in loco remoratur. Puerum autem ex cursu fatigatum ultro rediturum esse ad portum, postquam paene domum, quo properabat, pervenit, ne Plautus quidem iis, qui fabulam audiebant, persuadere voluit.

Attamen quo modo ad veram loci et sententiam et formam perveniri possit, mihi videor intellegere. Memoria enim repetendum est Pinacium, cum scaenam intrat, domum rediturum esse. Atque cum non nisi eo, unde primitus profectus erat, revertatur, v. 302 satis habere potest dicere *revortar*, ut se domum rediturum esse significet. Verum v. 292 quid potest dicere velle, si fieri non potest, ut se ad portum rediturum esse significet? Mihi quidem videtur nihil aliud dicere posse nisi hoc: se loco remansurum atque exspectaturum, dum domina mittat oratores *donaque ex auro et quadrigas* atque etiam ipsa *adversum veniat*. Quodsi loco remanet, non id facit, quod facturus erat, scilicet non revertitur. Etiamne igitur dubium videtur, quid Pinacium in extremo versu 292 dixerit? Dixit: *ergo n<on i>am revortar*; atque si primitus NIAM pro non iam scriptum extiterat, I littera omissa perfacile oriri potuisse eam quam nunc in codicibus ABCD legimus scripturam quis est quin concedat?

At hae litterae propter sententiam necessariae si suppletur, versus excedit metrum. Sed silentio adhuc praeterita est offensio quam non *queo* verba habent; nam aliter non *queo* nisi legitimis illis versuum locis, de quibus tractavi, apud veteres poetas scaenicos non invenitur. Itaque hoc loco *nequeo* pro non *queo* restituatur necesse esse puto. Attamen non vocula, quae ante *queo* traditur, non potest facta esse ex praefixo *ne-* verbi *nequeo*; sed non *queo*

formam pro *nequeo* interpolavisse existimo eum, qui mederi studeret metro, quod verbis non iam pessumdatis in *nam* corruptum exstaret.

Si vero *nequeo* forma in locum formae non *queo* substituitur, *oni* litteris post *ergo* suppletis forma versus octonarii trochaici nullo vitio inquinata apparet; nam *ergo* in principio enuntiati ante formam verbi futuram praeterea legitur Mil. 476/77; et ultimae huius verbi syllabae accentus impositus est eodem modo As. 30, 350, Ba. 125, Cas. 588, Mil. 63, Pseud. 1164, Rud. 184. Itaque versus 292 formam primariam hanc fuisse arbitror:

quī vehar, nam pēdibus ire nēqueo. ergo non iam revortar.

III.

nunciam, nunc iam, tam nunc.

P. Langen libri, quem inscripsit „Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus“ (Leipzig 1880) pag. 285 haec contendit: „Allerdings ist *nunciam* nichts weiter als eine nachdrucksvollere Form von *nunc*; ihr Gebrauch muss dahin beschränkt werden, dass sie entweder beim Futurum steht, oder bei einer Aufforderung, nie sonst beim Praesens, nie bei irgend einem anderen Tempus.“ Sed haec quidem quamquam a veris aliena sunt, nondum veram Langeni sententiam habemus, quam in inferiore parte eiusdem paginae his verbis exprimit: „Seine ganz spezielle Verwendung hat *nunciam* bei der Aufforderung.“ Atque hoc quidem sane verum est longe plurima *nunciam* verbi exempla Plautina exstare in enuntiatis cohortativis. Sed in his exemplis Men. 1155: *ergo nunciam vis conclamari auctionem fore* et Curc. 522: *sunmane, numquid nunciam me vis* quaestio potius est quam cohortatio. Haec autem leviora, illud gravius neque ferendum puto, quod Langen in tribus ex illis quinque exemplis, in quibus *nunciam* cum forma futuri coniuncta exstat, hanc formam futuri ad imperativi formam revocandam esse dicit. Quae quam accessita sint, si quis scire velit, explicationem Langeni ipsam videat. Postremo quid eum impedivisse putabimus, quominus eadem illa ratione Cas. 711: *eo nunciam nisi quippiam remorare me* illud praesens *eo*, quod iam ipse idem valere atque *ibo* futurum verum dicit, insuper ad formam imperativam revocaret? Hac autem ratione quae praesentis aut futuri temporum forma non possit revocari ad sententiam cohortativam, equidem quaesiverim. Immo vero sequi videtur, ut *nunciam* vox ad unamquamque illorum temporum formam aequo iure applicari potuerit.

Sed mittamus has argutias. Mihi quidem tantum necesse esse videtur, ut concedatur apud Plautum *nunciam* vocem maxime cum imperativo praesentis, sed praeterea quinquies cum indicativo futuri et semel cum indicativo praesentis coniunctam exstare. Inde nihil aliud sequitur nisi ut *nunciam* vocabulum cum tribus illis formis omnibus coniungi potuerit a Plauto, maxime coniunctum sit cum imperativi forma, non potuerit coniungi cum aliis formis. Quodsi hoc verbum re vera cum nullo alio tempore nisi cum praesenti aut futuro coniungi poterat, ut apud Terentium quoque res se habere videtur, hoc non obscura quadam ratione, qualis apud Langenum videtur esse, perfici potuisse apparet, sed notione verbi propria. At quae haec illius verbi propria notio est? Certe ea est, unde *nunciam* verbum nulla alia ratione usurpari potuisse apparet nisi

qua a Plauto et Terentio, apud quos scriptores solos invenitur, re vera usurpatum est. Quae cum ita sint, si *nunciam* verbi vim genuinam fuisse hanc „jetzt auf der Stelle“, „jetzt gleich“ agnoveris, num etiam tum mirum videbitur, quod haec vox maxime cum imperativo praesentis, non semel cum indicativo futuri, raro cum indicativo praesentis coniuncta erat, cum aliis temporibus coniungi non poterat? Dicit aliquis illam *nunciam* verbi vim non in omnia apud Plautum exempla plane convenire; quorum in nonnullis verbum non plus valere quam *nunc* verbum simplex, velut Most. 1166: *quid me fiet nunciam?* Curc. 522: *summane, numquid nunciam me vis?* Pseud. 118: *molestus nunciam nesis mihi*. Sed num credibile videtur *nunciam* verbi compositi vim primariam eandem fuisse atque *nunc* verbi simplicis? Immo in iis exemplis, in quibus *nunciam* nihil aliud significat nisi quod *nunc* simplex, vera illius verbi compositi vis deminuta est. Atque haec exempla cum exstent illis versuum locis, quibus cum archaisorum usus tum aliae poetarum licentiae videntur legitimae fuisse, ita videtur iudicandum esse poetam *nunciam* verbum compositum adhibuisse pro *nunc* verbo simpliciter commoditate quadam ac facilitate permutum, quam in versibus pangendis saepe obtinuisse constat.

Huic *nunciam* verbo trisyllabo, quod in duas voces distrahi licere negat, Langen pag. 287 opponit et *iam nunc* et *nunc iam*. Atque addit: „ersteres 'schon jetzt' bezeichnet den Gegensatz zur Zukunft“. Itaque in hac locutione vim et usum *iam* voculae plane aliam esse monendum videtur atque in *nunciam* verbo illo trisyllabo. Nam in *iam nunc* vox prior minime verti potest per „gleich“, „auf der Stelle“. Sed in hac locutione cum *iam* voculam valere appareat ad augendam et cumulandam notionem eius quod subsequitur verbi, scilicet *nunc* verbi, *iam nunc* locutio tota haud scio an potius vertenda sit per „bereits jetzt“, ita ut *iam* vocabuli notionem et usum non multum abesse intellegatur a frequentissima notione et usu *etiam* verbi (= „sogar“). Ad illius autem *iam nunc* locutionis exempla Plautina ea, quae Langen pag. 387 affert, apud Terentium non modo accedunt Haut. 376 et Ad. 290, de quibus Langen ipse quoque recte iudicavit pag. 288, sed adnumerandum mihi videtur etiam Ad. 884/5: *iam nunc haec tria primum addidi praeter naturam*, quae verba equidem credo Langenum iniuria vertisse hac ratione: „jetzt habe ich schon diese drei Redensarten gegen meine Natur hinzugefügt“. Immo vero veritas necesse est hoc fere modo: „bereits jetzt habe ich — zum ersten Mal in meinem Leben! — diese drei Worte ganz gegen meine Natur zugefügt“. Atque si quaesiveris, cui actioni futurae haec per *iam nunc* verba illa addita opponi poeta voluerit, non desiderabis actionem futuram: nam est futuri temporis vis v. 887 in coniunctivo potenciali (*lubens bene faxim*); est futurum ipsum v. 888: *ipsa re experire propediem*. Itaque Langen non recte fecisse mihi videtur, quod hoc loco Terentiano, quippe quo loco *iam nunc* pro *nunc iam* bisyllabo Plautino stare putaret, usus est ad statuendam hanc sententiam: „Man sieht, die scharfen Grenzen beginnen sich zu verwischen“.

Sed quod attinet ad *nunc iam* illud bisyllabum et in duas voces distinctum, horum verborum usus a Langeno ita definitur, ut per ea praesentem enuntiatam actionem opponi praecedentis enuntiatam actioni praeteritae dicat. Atque si

quaeretur, quam huius *nunc iam* significationem Germanicam esse Langen voluerit, spectetur, quo modo vertat exemplorum quod affert primum, scil. Plaut. Ep. 135*):

illam amabam olim: nunc iam alia cura impendet pectori

quem versum in lingua Germana exprimit his verbis: „jene liebte ich früher, jetzt quält mich bereits eine andere Sorge“. Atque haec si diligenter examinasti, nonne iam apparet, quibus in rebus Langen erraverit? Nempe primum num actio enuntiatam secundi prioris enuntiatam actioni re vera amorum *nunc iam* verborum vi opponatur ac non *nunc* verbi unius, quaesiverim. Immo vero, *iam* vocabulum hic nihil pertinere video neque ad *nunc* verbum praecedens neque ad enuntiatam tempus actionis, pertinere ad eam quam praecedit vocem *sola*; cuius ad notionem augendam et cumulandam valet non aliter atque ut in *iam nunc* locutione *iam* vocabulum *nunc* illud quod subsequitur augere supra vidimus. In hoc autem versu Plautino, de quo agitur, *iam* voculam neque post *nunc* verbum omnino servandam et ad *alia cura* verba attrahendam esse cum Langeni ex verbis conversis, quae probo, ipsis videtur apparere tum confirmatur exemplis tribus illis, in quibus *nunc* et *iam* verba plane eadem significatione praedita separata exstare et Langen ipse docet pag. 288 et ego infra exponam. Quae si ita sunt, Langen exemplum, quod affert secundum, scil. Plaut. Capt. 266:

nunc senex est in tonstrina: nunc iam cultros attinet

non recte mihi videtur convertisse maxime propterea, quod *iam* vocem ad *cultros* verbum subsequens pertinere idque augere non perspexit. Quem versum equidem convertam hoc fere modo: „jetzt sitzt der Alte in der Barbierstube: jetzt setzt der bereits das Messer an.“ Amph. pr. 38, quem versum Langen tertio loco affert, sane nihil attinere ad Plautum concedendum est (cf. Norden: Rhein. Mus. 49 (1894) pag. 204—206). Tum vero insequuntur exempla tria illa, in quibus *nunc* et *iam* verba separata leguntur et quibus sine ullo dubio confirmari iam dixi ne in praecedentibus quidem exemplis *iam* vocem ad *nunc* verbum pertinere, immo forte accidisse ut *iam* vox post hoc verbum collocaretur. Atque horum trium exemplorum vel in primo ipso, scil. Plaut. Stich. 188:

nunc reppererunt verbo ei iam vicarium

valde dubitari posse concedes utrum *iam* vox per „bereits“ an potius per „sogar“ vertenda sit, ita ut *iam* vocis notio re vera *iam* plane ad *etiam* verbi notionem usitatissimam progressa**) esse videatur. Vix aliter iudicabis de Plaut. Stich. 762/63***):

dudum placuit potio:

nunc minus gravate iam accipit

ubi primum qua ratione *accipit* verbum interpretandum sit intellexeris. Quod verbum hoc loco significanter dici credo eadem ratione qua *acceptus* participium apud Plautum non semel adhibetur. Quod si ita est, illud verbum hic convertam

*) Quod Mueller prosod. Plaut. supplem. 2 pag. 38, ut *nunciam* trisyllabum legi possit, hunc versum metiri vult hac ratione: *illam amabo olim: nunciam alia* etc., hoc iam minime mihi videtur respiciendum esse. Nam quid *nunciam* trisyllabum, quod nihil aliud significare statui nisi „jetzt gleich“, „jetzt auf der Stelle“, sibi velle putabis hoc loco, cui ne convenit quidem haec notio?

**) Apud Ciceronem *et iam* significare „und sogar“ memineris.

***) *Haut* negatione ante *placuit* a Pistore suppleta non opus esse Leo recte mihi videtur exponere.

per „freudig begrüßen“ aut si id loci ipsius sensui magis adaptari vis per „freudig ergreifen“. Itaque totum locum lingua Germana his fere verbis exprimam: „eben hat ihm der Trunk geschmeckt: jetzt weniger umständlich ergreift er ihn bereits freudig“ aut „jetzt macht er weniger Umstände und greift bereits freudig zu.“ Nunc vero si in verbis conversis „sogar“ pro „bereits“ inseritur, hoc etiam melius sensui convenire mihi quidem videtur. Denique in Plaut. Rud. 137 quoque:

nunc intervallum iam hos dies multos fuit

iam vocem ad verba subsequencia sola pertinere valereque ad haec augenda atque cumulanda iam vix quisquam erit quin concedat. Postremo haud scio an huc afferendus sit is quoque versus, de quo Langen in fine disputationis dicit, scilicet Ter. Eun. 561, cuius versus in A forma haec est:

nemōst hominū quem ego nūc iam magis cuperē videre quā te.

Ceteri codices *nunc iam*, et *nunc* (quod A² quoque habet) praebent. Sed quamquam *nunc iam*, quod A habet, servandum crediderim, tamen initium versus nondum restitutum esse existimo, propterea quod non una cum praecedentis versus fine ipso quoque corrupto corrigere conati sunt viri doctissimi, id quod necesse esse ut fiat persuasum habeo.

Iam vero restant apud Langenum exempla Plautina duo, scilicet Ba. 1075:

nunc hanc praedam omnem iam ad quaestorem deferam

et Truc. 603:

nunc ego meos animos violentos meamque iram ex pectore iam promam.

Atque in his exemplis *iam* vocula quamquam item a *nunc* verbo separata legitur, tamen non idem significat quod in huiusmodi exemplis prioribus scilicet „bereits“ neque ad augendam aut cumulandam vocem insequentem valet, sed Langen illam voculam his locis recte convertisse per „sofort“, „sogleich“ concedendum est. Tum vero in utroque hoc exemplo *nunc-iam* verborum significationem eandem videmus esse quam *nunciam* trisyllabi esse supra cognovimus, scilicet „jetzt auf der Stelle“, „jetzt gleich“. Neque vero aliis cum temporibus *nunc-iam* illa in his versibus coniuncta exstant nisi quibuscum *nunciam* trisyllabum coniungi solere supra probatum est. Ergo *nunc-iam* duo illa verba et *nunciam* hoc trisyllabum, quod in duo verba separari posse iure negant (cf. supra *quispiam* etc.), primitus quidem unum atque idem fuisse concludendum censeo. Atque si alterum cum altero comparaveris, haud scio an vix magis inter se differre videantur quam in lingua Germana hae fere locutiones: „jetzt — gleich“, ubi hae duae voces verbis interpositis separantur, et „jetzt gleich“, ubi hae voces sub unum ictum contracta atque per enclisin coniuncta tamquam unum enuntiantur, etsi nondum uno verbo scribi solent. At tamen hae locutiones Germanae plane aliam inter se rationem habent quam illae Latinae. Nam in lingua Germana „jetzt gleich“ verborum coniunctio illa per enclisin enuntiata hodie conformari potest in quolibet puncto temporis contrahendis „jetzt — gleich“ illis verbis separatis. Sed itemne Plauti temporibus *nunc-iam* illis verbis sub unum ictum contrahendis in unoquoque puncto temporis oriri potuisse credes *nunciam* illud trisyllabum, sive in duo verba distrahendum sive uno verbo scribendum est? Immo vero,

non potuit oriri; poterat vel dicam necesse erat oriri nihil aliud nisi *nunc iam*, sive duobus verbis sive uno verbo scribere mavis, sed quae elocutio duarum syllabarum erat, non erat trium. Nam *iam* voculae litteram primam consonantem et primitus fuisse et semper mansisse neque unquam potuisse vocalem fieri nisi cum antiquissimis linguae Latinae temporibus in commissura compositi post consonantem exstaret, iam supra ad *quispiam* etc. formas exposui. Sequitur, ut *nunciam* forma trisyllaba aut item ut *quispiam* antiquissimis linguae Latinae temporibus orta putanda sit aut postea ad similitudinem eiusdem modi formationum conformata, id quod mihi quidem in *nunciam* verbo etiam minus verisimile videtur quam in *quispiam* etc. formis. Quodsi *nunciam* verbum non fuisse *nunc* et *iam* vocabulorum per enclisin coniunctionem, quae Plauti aetate quolibet temporis momento conformari posset, fuisse compositum antiquissimum conceditur, iam accedit, quod illa tot *nunciam* trisyllabi exempla Plautina et Sengulariana praeter tria omnia (mitto exempla lyrica) exstare videmus in singularibus versuum sedibus illis, quas formarum et archaicarum et nove formatarum apud veteres poetas scaenicos legitimas fuisse demonstravi in disputatione. Et si exempla tria illa, quae in aliis versuum sedibus occurrunt, ut aliter explicentur aut fieri potuerit aut necesse visum erit, quid impedit, quin *nunciam* formam, quoniam nove formata esse Plauti temporibus vix potest, his temporibus re vera iam archaicam fuisse neque in sermone cotidiano adhibitam esse, immo vero a poetis scaenicis propter metri necessitatem solam ex carminibus antiquissimis repetitam suaque in poesi usurpatam esse concludamus?

Quodsi *nunciam* trisyllabum re vera Plauti temporibus archaica forma existimanda videatur, in cotidiano illius aetatis sermone eiusdem significationis formam aliam iam habeamus nullam nisi *nunc-iam* verba, quae aliis verbis interpositis separata leguntur. Atque quaesiverit aliquis, nonne, si haec ita essent, *nunc-iam* verba illa separata, item ut in Germana lingua dixi, etiam in scaenicorum temporum lingua Latina per enclisin coniungi potuisse necesse esset. Et re vera *nunc iam* verborum per enclisin coniunctorum exemplum certum apud Plautum legi mihi persuasum est Aul. 451:

ite sane nunc iam intro omnes, et coqui et tibicinae.

Hoc in versu ne potest quidem nisi bisyllaba *nunc iam* locutio legi; nam quod Leo, ut *nunciam* forma trisyllaba legi possit, *intro* verbum omittit, hoc mihi quidem non probatur, quia versum 452, in quo *intro* illud iteratur, non suo loco stare, sed post versum 453 inserendum esse censeo; quod si ita est, *intro* verbum v. 451 deesse non potest. Atque quod hoc modo in versu 451 *nunc iam* verba per enclisin coniuncta atque illorum temporum in sermone cotidiano usitatissima legi miraberis, cum in versu 453 *nunciam* forma archaica exstet, eiusmodi res in *populi* et *popli* (cf. Plaut. Stich. 490/92), *sim* et *siem* (cf. Plaut. Men. 341, Trin. 694 etc.), infin. in *-i* exeunt. et in *-ier*, aliis formis non semel occurrere tibi persuadere poteris Hodgmani ex commentariis allatis. Alterum autem *nunc iam* verborum sub unum ictum contractorum exemplum exstare mihi videtur Plaut. Mil. 737, versu septenario trochaico:

quique eos vituperet. nunc iam istis rebus desisti volo,

ubi habet *nunc* A, *nunc iam* B, *nuntiam* CD. Leo autem iniuria mihi videtur A codicem sequi nulla alia causa permotus nisi ne *nuntiam* bisyllabum hoc loco legatur. Denique huc pertinere mihi persuasi etiam illa tria exempla, quae quoniam *nuntiam* trisyllabum habere adhuc nemini non videbantur sed in versuum sedibus talibus, quales archaismorum legitimas fuisse negavi, inserta sunt a me sub tabulae num. VIII; sunt autem Plaut. Bacch. 995, Poen. 374, Rud. 1051. Atque Plaut. Bacch. 995, qui versus in cantico legitur, metrum, quamvis incertum adhuc visum sit (cf. Brachmann: Leipz. Stud. III (1880) pag. 140 et Norden: Rhein. Mus. 49 (1894) pag. 204 adnot.), facile restitui posse existimo, si nihil nisi *nunc iam* pro *nuntiam* legitur; nam tum existit septenarius trochaicus non aliter atque in versu praecedenti; est enim:

hóc age sis nunc iam. # ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.

Deinde Plaut. Poen. 374 quoque mihi videtur melius legi posse, si *nunc iam* verba pro *nuntiam* verbo trisyllabo hoc loco stare concessum erit, ita ut metiamur: *si ánte quid mentítust, nunc iam dehinc erit veráx tibi.*

Atque etiam Plaut. Rud. 1051 nihil offensionis habere credo, si hoc quoque loco *nunc iam* pro *nuntiam* trisyllabo scribatur, ita ut legatur:

íte, inquam, domum ámbó nunc iam éx praesidiñ praésides.

Nam hiatus, qui post *nunc iam* apparet, non iniquo loco stare mihi videtur ut in diaeresi.

Denique ut hanc totam meam de *iam nunc, nunc iam, nuntiam* apud veteres poetas scaenicos sententiam paucis complectar, hoc dico: primum Plauti Terentique fere temporibus vulgo in usu fuisse *iam nunc*, quod in lingua Germana significat „schon jetzt“, „bereits jetzt“ et, ut Langen recte dicit, „den Gegensatz zur Zukunft bezeichnet“. Qua in locutione *iam* vocula ad augendum *nunc* verbum insequens valet; itaque in hac locutione *iam* et *nunc* voces sane per enclisin coniunctae sunt. Non coniunctae sunt per enclisin, si leguntur hoc ordine *nunc iam* et vertenda sunt per „jetzt schon“, „jetzt bereits“, quin etiam interdum potius fere per „jetzt sogar“, ita ut enuntiati actio praesens praecedentis enuntiati actioni praeteritae opponatur per *nunc* vocabulum solum, cum *iam* vocula (item atque in *iam nunc*) valeat ad augendam et cumulandam vocem subsequentem, cui ipsi *iam* per enclisin se applicare consentaneum est. Itaque in hac locutione ut *iam* vocula *nunc* vocabulum subsequatur minime necesse est; atque re vera verba non semel separata leguntur. Postremo pro locutionibus Germanicis „jetzt auf der Stelle“, „jetzt gleich“ in cotidiano sermone Latino Plauti fere temporibus dicebatur *nunc iam*, quae vocabula pro illa significatione nisi cum praesenti aut futuro tempore coniungi non poterant et item atque in locutionibus illis Germanicis aut sub unum ictum contracta adhibebantur aut aliis verbis separata, scil. *nunc — iam*. Pro hac autem locutione versuum locis illis singularibus veteres poetae scaenici ique sane quidem metri necessitate commoti utebantur *nuntiam* forma archaica; quam formam etiam vi deminuta pro *nunc* verbo simplici adhibere audebant eadem de causa, quamquam ne tum quidem *nuntiam* compositum archaicum aliis cum temporibus coniungebant nisi quibuscum solebant, ubi notione genuina praeditum erat.

Vita.

Natus sum Diotericus Martinus Guilelmus Noetzel in Borussiae oppido, quod est Wilhelmshaven, Kalendis Juliis anni 1883 patre Hermanno matre Mathildi e gente Henning. Fidei addictus sum evangelicae.

Paulo post me natum pater migravit Berolinum, in qua urbe primis pueritiae disciplinis imbutus per annos novem gymnasium Humboldtianum frequentavi. Vere anni 1903 maturitatis testimonio instructus inter cives academicos universitatis Friderico—Guilelmae receptus sum. Ab hoc tempore per semestria decem studiis philologicis et philosophicis me dedi. Examen rigorosum Nonis Mais sustinui. Docuerunt me viri doctissimi Diels, Doering, Ebeling, Geiger, Haguenin, Helm, Imelmann, Kekule de Stradonitz, Lagarde, Lasson, E. Meyer, R. M. Meyer, Muench, Norden, Pariselle, Paulsen, Riehl, E. Schmidt, M. Schmidt, W. Schulze, Tobler, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff. Proseminarii philologici fui sodalis per semestria sex, quorum per duo in cursu primo. Ad exercitationes archaeologicas benigne me admisit Kekule de Stradonitz, ad Francogallicae linguae noviciae exercitationes Pariselle et Tobler. Practerea Francogallicae linguae noviciae exercitationibus eis, quas Haguenin habet, interfui per semestre unum. Magistris meis, imprimis Eduardo Norden, cuius auspiciis haec dissertatio orta est, summam gratiam et habeo et semper habebo.

Denique per semestria septem fui sodalis societatis academicae philologicae Berolinensis, cui quantum debeam, numquam obliviscar.

COLUMBIA
UNIVERSITY
LIBRARY

Erratum:

p. 43 lin. 35 legas *proterviter* pro *porterviter*.

UNIVERSITY
LIBRARY

FRIDERICO · RITSCHelio

PRAECEPTORI

SVMME · VENERANDO

PRAEFATIO.

Cum ante hos quindecim menses amplissimus philosophorum ordo cives academicos de praemio certaturos „*prologorum cum Plautinorum tum Terentianorum rationem et condicionem omnem investigare*“ iussisset, ego et veteris latinae comoediae magno amore adductus et iudicium aequitate ac clementia confidens propositam quaestionem aggredi conabar. atque hac sane, de qua opinio me non fefellit, benignitate evenit, ut una cum Guilelmi Wagneri sodalis libello mea commentatio digna praemio haberetur: qua re magnopere confirmatus ea, quae ad cognoscendum non inutilia esse et res illas permultis difficultatibus impeditas illustrare posse viderentur, subtiliore diligentia ac novo studio retractata in lucem emittere constitui. nunc igitur, cum ad summos in philosophia honores impetrandos dissertatio mihi scribenda esset, opportuna occasio data est partem edendi totius opusculi. nam quominus omnia ea, quae parata sunt, uno conamine virorum doctorum iudicio subicerem, cum alia me prohibuerunt, tum angustior, qualis fere est, harum dissertationum ratio ambitusque praeterea metuebam, ne, si tempore urgente magis prope-

rarem, totus libellus minus accurate expolitus et suis numeris parum absolutus prodiret. quamobrem singulas modo quaestiones delegi, has tamen eiusmodi, quae uno quasi vinculo inter se cohaerent et facile a reliquis possent seiungi. itaque de eis tantum prologorum Plautinorum et Terentianorum locis disputabitur, quibus tituli mentio fit graecique exempli.

PROLOGI

Vt scaenicarum actionum quavis aetate, ita Plauti quoque ac Terenti temporibus Romae, quotiescumque in scaena fabulae darentur, et fabularum nomina et eorum, qui eas scripsissent, necessario aliqua ratione cum spectantibus communicanda fuisse nemo sine dubio negabit. item de graeco eos exemplo perdoceri licuisse saltem concedendum est. quatenus autem ad hoc vel illud proponendum fabularum prologis latini poetae usi fuerint, de eo sententiae virorum doctorum valde fluctuant nec nullius erit fructus in hanc quidem rem diligentius inquirere. cum vero aliunde de ea nihil certi constitui queat (unus, qui huc spectat, Donati locus, de quo infra pluribus disputabitur, a Ritschelio in suspitionem vocatus est), ex ipsis, qui quidem hodie exstant, prologis, quid de illa re sentiendum sit, expedire studebimus ita, ut a Terentianis prologis, quippe quod certius inquisitionis fundamentum sit, initium faciamus.

Ac primum, quod ad poetae nomen attinet, in *Andria*, *Eunucho*, *Phormione*, *Adelphis* «*novis fabulis*»¹⁾ (*Hea u-*

1) Fabularum illarum prologos ad primas actiones pertinere diserte pronuntiatum est in *Eun.* prol. v. 19 sqq. 29. 44 sq., *Phorm.* prol. v. 24, *Ad. prol.* v. 12. de uno *Andriae* prologo illud minus liquet, quin etiam Geppertus (*Jahns Jahrb. f. Phil. Supplmtbd. XVIII* p. 579) praeceunte Osanno (*Anal. crit.* p. 144) eum ad actionem aliquam repetitam referendum esse ex ipsius versu 5 collegit:

Nam in prologis scribundis operam abutitur. nam cum *Andria* ex Suetoni diserto testimonio (ed. Reiff. p. 28) prima Terenti fabula esset, non sine specie veritatis in plurali numero offenditur. iam antea, ut Geppertus adnotat, Tanaquil Faber in editione anni 1671 complures prologos et propterea complures fabulas

ton timorumenon nunc quidem sciens praetermitto) prologus Terenti nomen omnino non memorat, sed de »poeta« tantum verba facit. nunc vero, ut iam significavimus, fabulas illo tem-

Andriae antecessisse ex eodem versu sibi persuasit, illo Suetoni loco manifesto repugnante. nec vero Osanno et Gepperto, qui Andriam una cum nostro prologo anno 587 (fast. Cap.) relatam iudicarunt, non obstat Suetoni auctoritas, qui C. Sulpicio Gallo consule (anni 587) Terentium initium fecisse testatur fabularum dandarum (ed. Reiff. p. 31). maiore igitur cum persuadendi vi videtur existere posse, qui ipsam fabulam a. 587 primum actam, prologum autem ad repetitam actionem spectare dicat. contra autem respiciendum est versum 8

Nunc quam rem vitio dent, quaeso animum attendite — ita proferri, quasi poeta ad Andriam certe nondum »operam abusum sit, qui veteris poetae maledictis responderet«, omnem igitur illam offensionem ita tantum sustentari, ut, cum Andria primum ageretur, nulla adversariorum mentione facta nostrum prologum primum, quae illi Andriae vitio darent, commemorasse putemus, postquam interea aliarum fabularum prologi eiusdem argumenti antecessissent. quid autem, quod ex prologi quattuor ultimis versibus

Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite,

Vt pernoscat, ecquid spei sit relicuom q. s. —

colligi licet spectatores »rem« nondum cognovisse, fabulam igitur aut cum nostro prologo primum actam aut antea exactam fuisse (de versibus 25—27 conferas Donatum ad Hec. prol. I v. 8)? hoc alterum si statuimus, nullo modo fieri potuit, quin poeta uno certe id verbo indicaret. praeterea Phorm. prol. versus 31 sq. unius tantum exactae fabulae (Hecyrae) mentionem faciunt: ut nostrum prologum primae esse fabulae primum actae confidenter credamus et pluralem illum, qui in versu 5 exstat, ad superlationem quandam veritatis in quovis dicendi genere tritissimam referamus. — Hinc de alia eiusdem prologi offensione iudicare poterimus: nam cum Terentius in eo ab Lusio Lavinio eiusque sociis ita se defendat, ut neminem nominatim commemoret, sed illum in versu 7 »veterem poetam« appellet, deinde autem plurali numero utatur, audientes sine dubio iam sciebant, de quibus hominibus poeta cogitaret: etsi quo pacto eorum nomina spectatoribus innotuerint et illi ipsi Andriam cognoverint, varie potest explicari.

pore incredibile est spectatas esse spectatoribus poetarum nomina plane ignorantibus: prologos operam dedisse alicui poetae commendando eiusque causam contra alios poetas egisse, si ei, qui aderant, ne nomen quidem illius pernosset. per curatores ludorum vel histriones vel ipsum poetam cum perpauci nimirum illud cognoscerent, talis in casu positae viae prologorum scriptores nullam rationem habere potuerunt. prorsus igitur, quod ad illas saltem quattuor fabulas attinet, credamus necesse est spectatores de Terentio poeta iam ante prologum aliquo modo certiores factos esse.

Idem nobis de fabulae nomine statuendum est. cum enim per se probabile videtur una cum poetae nomine eademque ratione indicatum esse, quam ille fabulam scripsisset, tum vero illarum fabularum ipsi prologi haud dubie id demonstrant. ubi quamquam nomen fabulae commemoratur, numquam tamen haec mentio aliter atque in transitu fit. sic in Andr. prol. versibus 13. 14:

Quae convenere in Andriam ex Perinthia

Fatetur transtulisse atque usum pro suis.

nemo profecto existet, qui talem pronuntiationem sufficere contendat. antecedunt sane (v. 9) haec verba:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.

sed ea indicio illi parum sufficienti aperte non possunt adminiculo esse. item in Eun. prol. versibus 19. 20:

quam nunc acturi sumus

Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt — non id agit prologus, ut spectatores fabulae nomen resciscant. sed cum de fabula loqui coeperit, occasione utitur, ut graecum archetypum indicet. latinae autem fabulae item nomen esse Eunuchum colligi quidem probabiliter potest, necessitatis tamen nullum habet momentum. in Ad. prol. versibus 10 sqq. legitur:

eum hic locum sumpsit sibi

In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.

Eam nos acturi sumus novam : q. s.

non dicit prologus: »Eam nos nunc acturi sumus«, qua ratione sane ipsum fabulae nomen indicatum esse videatur, sed

manifesto vox »novam« urgenda est. denique in Phormione (v. 24 sqq.) prologus haec profert:

Nunc quid velim animum attendite, adporto novam

25 Epidicazomenon quam vocant comoediam

Graeci, Latini Phormionem nominant:

Quia

.

30 Date operam, adeste aequo animo per silentium q. s.

hos versus, etsi cum proposita mea sententia parum convenire videntur, tamen ei sententiarum conexu satis perspecto non repugnare censemus. ad illud enim »quid velim« referendi sunt versus 30 sqq., quibus silentium petitur. ante eos poeta nonnulla inserit, quae ad ipsam fabulam pertinent: dicit novam eam esse, ex graeca Epidicazomeno versam. cum vero latinum nomen non idem sit, hanc mutationem breviter excusat, qua in re fieri non potest, quin id ipsum nomen — spectatoribus iam cognitum — proferat¹⁾. ceterum ex hoc Phormionis loco non novum nostrae sententiae argumentum petimus, sed tamen eum ab illa non dissentire contendimus. ex eiusmodi autem mentione, qualis in Andria, Eunuchus, Adelphis fabulae nominis fiat, id, quod proposui, satis comprobari puto: spectatoribus nomen fabulae (aeque ac poetae) iam notum fuisse, antequam prologus prodiret.

Id vero quattuor illarum fabularum actionibus non solis proprium fuisse et inde conicimus, quod illae quidem fabulae nihil quidquam habent, quod singularem rationem requirant, et alia ratiocinatione comprobari potest. nam si tituli pronuntiatio necessaria quaedam quamvis brevis prologi pars fuisset, arbitrator non futurum fuisse, ut id veteres grammaticos, qui quidem de prologis disseruerunt (de Donato cogito et Euanthio, quibus sat boni plerumque fontes praesto erant), prorsus effugeret²⁾. quam-

1) Omnino in propatulo est licuisse prologo, etiamsi audientes fabulae nomen iam scirent, idem tamen, quotiescumque vellet, repetere.

2) Vnum saltem locum afferam, Euanth. de fab. (Klotz ed. Ter.

quam concedimus ipsorum tempore res teatrales posse iam multo diversas ab aetate Terenti fuisse.

Priusquam vero anquirimus, num id, quod vulgo factum esse intelleximus, ad Hecyrae quoque duos, qui servati sunt, prologos prologumque Heauton timorumeni spectet, quos nondum tractavimus, longius nos de ipsius Heaut. prologi initio, quod valde perturbatum nostram aetatem tulit, digredi oportet.

Hunc quidem prologum captandae benevolentiae causa, quod Hecyra ante illam fabulam acta spectatoribus non placuisset, a L. Ambivio ipso, domino gregis, illo tempore iam sene pronuntiatum esse ex nostro prologo et Hecyrae altero inter se comparatis apparet neque a quoquam addubitatam est. quod cum praeter morem fieret (nam adolescentium prologi partes erant), senex ipse sic exorsus est:

Ne quoi sit vestrum mirum, quor partis seni

Poeta dederit, quae sunt adolescentium:

Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.

hoc tertio versu Bentleius vult Ambivium enuntiare sese primum per totum prologum dicturum, »cur ipsum potius poeta quam iuvenem quempiam elegerit, deinde autem fabulam ipsam peracturum esse, ad quam agendam illuc venerit«. ex qua sententia vir ille praeclarus nequit non statuere »Ambivium prologo pronuntiato pedem de scaena non movisse, sed ingrediente altero actore, qui Menedemi personam faceret, illud magno ore orsum esse »Quamquam haec« etc.«¹⁾. — Sed quod Bentleius ipse vulgo

I p. XV, 35—37): »Prologus est velut praefatio quaedam fabulae, in quo solo licet praeter argumentum aliquid ad populum vel ex poetae vel ex ipsius fabulae vel ex actoris commodo loqui«. cf. practerea Euanth. p. XIV, 16 sqq. Donat. de com. p. XVIII, 8 sqq. Donat. ad Andr. prol. v. 6. item cf. Andr. prol. v. 5 sq.

1) Item v. 15 Bentleius ex sua versus 3 interpretatione eam orationem intellegendam esse censet, »quam mox primo actu in Chremetis persona Ambivius dicturus sit«, atque cum hac sententia convenit, quod in antecedentibus ille vocem »actore« ad totius fabulae actionem refert. sed cum prologus ante actus I initium de scaena di-

factum esse concedit, »ut, qui prologos pronuntiassent, statim e scaena discederent«, idem in nostram quoque fabulam sine dubio cadit. namque Hecyrae alterius prologi, qui ab eodem illo Ambivio pronuntiatum est, primus versus sic legitur:

Orator ad vos venio ornatu prologi.

unde perspicitur, quod etiam per se probabile est, eum, qui prologus existeret, sive adolescens sive senex esset, singulari vestitu usum esse. neque aliter de nostro prologo iudicandum est, cum Ambivius spectatores mirari putet, cur ipse prologi partes susceperit: eum igitur prologum esse cognoscere poterant. cum vero actor ille non potuerit eodem vestitu usus Chremetis quoque partes agere, verba »deinde quod veni eloquar« ad prologi ipsius quandam partem eamque posteriorem spectant, verba autem »id primum dicam« ad eiusdem prologi priorem partem. quid autem, quod ea pars, quam Ambivius primo loco promisit, non inde a versu 4, sed demum a versu 11 sequitur? quam offensionem Guyetus (l. c. p. 110 sq.) et ante eum Palmerius (»Spicil.« in Gruteri Thes. crit. IV p. 843. cf. Bendl. adn. ad h. l.) ita tollere conabantur, ut inverso ordine legerent:

Id deinde dicam: primum quod veni eloquar.
sed prorsus rationi repugnat talis dispositio, ut septem versibus

scederet, non potuit de Chremetis verbis dici »hanc orationem«, et, quod caput est, ex illa interpretandi ratione haec consequatur prava sententia: »Quod poeta me vult fabulam agere, propterea ego prologum pronuntio«. — Haec potius simplicissima illorum versuum explicatio est: »orator hodie sum, non prologus« (cf. Hec. prol. II v. 1): vos iudicare voluit poeta de eis, quae in prologo agerentur: me actorem dedit (vel simpliciter prologi actor intellegendus est vel ea dictio quodammodo voci »iudicium« respondet, ita ut »causae patronum, Amiculi« significet), si autem versus 12 ad solum prologum referri debet, non possunt sequentes versus non ad eundem prologum referri. itaque cum omnia bene se habere videamus, nihili est Guyeti temeraria opinio (Comment. in Ter. p. 111), qui ex illa potissimum parte »totum prologum non Terentianum, sed suppositivum« esse iudicavit.

prologus id eloquatur, quod venit elocuturus, quadraginta duobus autem, cur ipse illas partes didicerit. praeterea valde dubium videtur, num versus 4—9 sint eiusmodi, ut suo iure Ambivius dicat se eos potissimum pronuntiatum venisse. aliam igitur viam concinnitatis restituendae investigemus necesse est. et cum antea locum ita sanari posse arbitratus essem, ut versibus 7—9 remotis (de eis paullo post uberius disputabitur) versum 10 prorsus deleeremus et versus 4 et 5 versui 15 postponeremus: hanc quidem coniecturam improbandam esse Ritschelius in publica seminari reg. philol. disputatione mihi prorsus persuasit, quod ex ratione non esset illum versum 10, quem iam Nonius p. 278, 32 affert, remove et quod versus 4 et 5 ante versum 16 transpositi non satis cum sequentibus cohaerent. itaque unam tantum rationem memoratas offensiones tollendi relictam esse video, eam quam Ritschelius ipse monstravit: ante tertium enim versum nonnullos talis sententiae intercidisse censet versus, quibus poeta indicaret sese, cur ipse venisset, postea dicturum, ante omnia autem fabulae nomen prolaturum esse, ut illud »Id primum dicam« aptissime ad versus 4—9 referatur. quam coniecturam nos sine ulla dubitatione amplectimur, quamquam una offensio satis gravis vel sic exstare videtur. nam cum in quattuor Terentianis prologis fabulae nomen iam pro noto poni supra viderimus, in nostro illud, quacumque ratione lacunam supplementis, cum spectantibus diserte communicatur. sed hac offensione paullisper neglecta ad versus 4—9 revertamur, qui sic exhibentur (edit. Fleck.):

Ex integra Graeca integram comoediam

5 Hodie sum acturus Heauton timorumenon.

[Duplex quae ex argumento facta est simplici.]

Novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit

Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam

Existumarem scire vostrum: id dicerem.

versus 7—9 a nostro prologo alienos esse certa argumentatione probari potest. nova enim ea appellatur fabula, quae nondum cognita est, sed primum agitur. ac vulgo quidem graecum exem-

plum nondum tractatum esse ponitur, ut novae comoediae opponatur vetus, quae tantum refertur (cf. Heaut. prol. v. 34. Phorm. prol. 9. Hec. prol. I, 2. 5. II, 4. 6. 11). in nostrum autem locum illa notio non cadit. nam non referri eandem latinam fabulam nec demonstrandum erat nec demonstratum est. de alia igitur notione, quae in voce *>novus<* sane inesse potest, cogitemus: cavere poetam, ne quis eandem graecam fabulam iam antea a latino quodam poeta translata esse putet. hoc ex antecedentibus verbis *>Ex integra graeca . . . <* colligi posse non negamus, sed versum 4 ad prorsus aliud comprobandum spectare contendimus. vox *>integer<* in eodem versu bis usurpata eadem, ut ita dicam, principali significatione esse debet: quae mihi non accurate a librario quodam codicis Bemini (cf. Faernum ad h. l.) definita esse videtur scholio *>ex integra graeca: a nullo tacta<*. qualem enim statuamus integram latinam comoediam esse? — Ab illa notione non procul abest, utrique tamen coniuncto sufficit haec *>cuius nihil deest i. e. vollstaendig<*. quam si adhibemus, sententiam totius versus hanc assequimur: *>ex graeca fabula, cuius nemo quidquam praeripuit, latinam, cui non oportuit quidquam addi . . . <*¹⁾. quod cum ita sit, totus versus fabulam non contaminatam esse manifesto docet: novam praeterea eandem fuisse ex rerum natura consequitur, quippe quod graeci exempli nihildum erat tractatum.

Omnino cum iam pateat versus 7—9 cum antecedentibus non cohaerere, exstant alia eiusmodi, quae hos tres versus ex nostro prologo prorsus removendos esse sat comprobent: primum

1) Eadem interpretatio illius versus a Lessingio datur Dramat. Hamb. (Op. omn. ed. Lachm. = v. Maltz. VII p. 364 sq. adn.). — Cum vero Lessingius perspicere *>novam fabulam esse<* non demonstrasse poetam, ad singularem de illis verbis pervenit sententiam. dicit enim in eis subintellegendum esse *>apud aediles<*. sed praeterquam quod haec explicatio reliquis totius loci offensiones non tollit, negamus nos quemquam spectatorum illud potuisse subintellegere, praesertim cum in subsequentibus *>nunc qui scr. . . id dicerem<* poeta de spectatoribus tantum cogitaret.

enim, cum illo tempore domini gregis veteres fabulas pro novis agere nondum conati essent, profecto non erat, quod poeta fabulam novam esse *>ostenderet<* (alia est ratio, si Phorm. prol. versu 24 et Ad. prol. v. 12 illud obiter commemoratur) nisi singulari causa intercedente. talis autem in nostra fabula nec significatur, id quod nos requiramus, neque, ut ex versu 4 apparet, adesse poterat.

Praeterea illud valde mirandum est, quod Terentius spectatorum maximam partem scire existimat, *>quia Graeca sit fabula<*.¹⁾ graecus enim poeta in Andria, Eunucho, Adelphis commemoratur. in Phormione quamquam non graeci poetae, tamen fabulae graecae nomen reperimus. huius quidem in Heauton timorumenon non opus erat mentionem fieri, cum latinae ipsius fabulae nomen graecum esset. graeci igitur poetae nomen etiam si non necessario afferendum fuisse ex Phormionis exemplo apparet, tamen inde minime colligi licet notum fuisse spectatoribus²⁾.

Postremo denique, quod argumentum cum eis, quae modo attuli, arte cohaeret, nonne particula *>nunc<* (v. 7) aperte significatum est: *>postquam vobis ostendi, quae esset fabula, (nunc) non opus est me dicere<*? necessarium igitur duxit poeta nomen fabulae agenda pronuntiare et inde spectatores reliqua statim cognita habituros esse putavit. cuius rei num quis sanam rationem in fabula nondum acta excogitare possit, vehementer dubito. iam vero illi tres versus minime interpolatorem sapiunt. is sine dubio, quae forte requirebat, ea ipsa nonnullis versibus protulisset. verum indagasse mihi videor, si versus 7—9 ex He-

1) De latino scriptore id nihil offensionis habeat, siquidem eius nomen, quod fieri solitum esse ostendimus, iam ante prologum spectantibus propositum erat. quamquam vel sic me illud nonnihil mirum habeat, quod prologus non omnes, qui aderant, scire autumat, quis fabulam scripserit.

2) Nemini certe Ladewigius persuadebit, quae *>De can. Volc. Sedig.<* p. 14 ex nostro nimirum loco statuit: *>Zu den Zeiten des Terentius war Menander schon dem grössten Theile der Römer bekannt und seine Stücke wurden viel in der Originalsprache gelesen<*.

cyrae priore prologo, qui ad primam actionis repetitionem pertinet, in nostrum irrepsisse iudico: in illo enim revera poeta ostendere studebat fabulam illud temporis novam esse (cf. v. 3 »ut neque spectari neque cognosci potuerit«. v. 5 »nunc haec planest pro nova«). et illud quoque ad repetitam actionem pertinet, quod arbitrari potest poeta »maximam partem spectatorum scire, quis scripserit fabulam et quovia Graeca sit« eosque haec in memoriam revocatuos esse, postquam, quae esset fabula, dixerit. — Quo in Hec. prologi I loco Heaut. illi versus inserendi sint, vix ambiguum videtur, cum ille post versum 7 e lacuna laboret satis magna, quam Fleckeisenus Ilnio duce (Quaest. Terent. diss. phil. Bonn. 1843 thes. 16) particula »Sed« significavit. in ea scilicet illi ita conlocandi sunt, ut et ante et post eos alios versus deesse arbitremur.¹⁾

Non possumus nunc non paucis exponere, quid de versu 6 sentiamus, qui in codice Bembino a prima manu sic exhibetur:

Duplex quae ex argumento facta est duplici.
recentior scriptura est »simplici«: idem praebent ceteri codices omnes. hic in mentem veniunt verba Donati (praef. ad Phorm.) haec: »Argumentum quoque non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra, sed duorum, ut in ceteris fabulis.« item Euanth. (Kl. p. XV, 11 sqq.) »Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta

1) Versum 8 non apte illis ipsis sine transitu adiungi recte me Eduardus Luebbertus, praeceptor dilectissimus, monuit. — Ceterum sine dubio iam antequam in archetypo nostrorum Terenti codicum lacuna illa (fortasse unius paginae) librorum incuria orta est, versus saepius memorati in margine Heaut. prologi adscripti sunt, unde postea in textum irreperunt: quale interpretamentum ex ipsius Terenti comoediis petiit non sine exemplo esse eiusdem prologi versus 43—50 comprobant, qui eidem in Hec. altero prologo v. 41—43 inveniuntur. cf. praeterea de ea re Ritscheli commentationem, quam inscripsit: »Parallelstellen als ursache von glossemen« (Philolog. I p. 300—314).

Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae binos adolescentulos habent.« videtur igitur genuina lectio »Duplex duplici« fuisse et rectam interpretandi viam Faernus sic ingressus esse: »duo adolescentes in hac comoedia introducti cum sua uterque amica, patre, servo duplex argumentum faciunt atque ita duplicem comoediam, ut sunt omnes Terentianae excepta Hecyra.« sed hanc sententiam tam obscuram, quae grammaticorum doctrinam apertissime sapit, Terenti esse nemo, ut puto, in animum inducet neque opus est me amplius morari in singulis huius versus, quem Fleckeisenus Ilnio auctore (l. c. thes. 14) rectissime uncis inclusit, interpretationibus refutandis. Iam vero apparet et Ritscheli ipse concessit non apte poetam post disertam illam dispositionem (v. 3) priore parte duobus tantum versibus confecta ad alteram tam verboso transitu pergere (v. 10): »Nunc quam ob rem« q. s. suo igitur iure Ritscheli post quintum quoque versum lacunam statuendam esse suspicatur. quid autem in illis deperditis versibus enuntiatum fuisse probabile sit, infra indicabitur.

Sed ut nunc ad propositam quaestionem revertamur, Heaut. versibus 7—9 in Hec. prologum I transpositis de huius nobis fabulae prologis videndum est, num et poetae et fabulae nomina iam antea cognita fuerint. — Prior eorum his verbis introducitur:

Hecyrae huic nomen fabulaest¹⁾ q. s.

tali ratione omnibus nulla opinione praeoccupatis nomen fabulae videri debet primum pronuntiatum esse. nam si iam antea cum audientibus communicatum erat, prologum multo aptius fuit, cum nulla inde fabulae commendatio parari posset, nomen aut pro versus omittere aut in transitu tantum commemorare. — Quod ex initio prologi suspicari modo licet, id pro certo affirmandum est, si tres illos versus respicimus, qui hodie in Heauton timorumenno exstant. neque enim »Ostendi, quae fabula esset« ullo

1) Donatus adnotat: »A nomine coepit, ut incognitam probaret« q. s.

modo dici potuit, si nomen, iam ante hunc prologum indicatum, in primo versu obiter tantum repetitum erat. multo etiam apertius poetae nomen, etsi iam notum esset ex prima actione, in repetita tamen nondum publice pronuntiatum fuisse ex istis versibus colligimus. cum vero fabulae ac certe poetae nomen in quattuor antea tractatis prologis non exstet nec quidquam ibi excusationis proferatur, quis dubitet, quin Hecyrae prioris prologi ratio ab usitato more discedat?

Idem de altero Hecyrae prologo conicimus. initium is facit a longiore captatione benevolentiae, unde Ambivius, cui prologi partes sunt, sic ad rem transgreditur (v. 20 sq.):

Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite:

Hecyram ad vos refero q. s.

nonne hic nomen fabulae ut novum aliquid proponitur atque ita, ut spectatores eam non ita benigne accepturos esse dominus gregis putare videatur? Terenti poetae nomen in tertia actione omnino commemoretur profecto non erat necesse.

Eo igitur pervenimus, ut vulgo quidem titulum fabulae (poetae nomen et comoediae) iam ante prologum aliquo modo indicatum, in Hecyrae autem repetitis actionibus id in ipsis demum prologis factum esse constet. quod cur ita institutum sit, facile divinare possumus: nam cum Hecyra antea exacta esset, noluerunt ludorum curatores aut dominus gregis Romanos illam agi prius resciscere, quam apta rerum expositione spectatorum studium fabulae parari eorumque gratia impetrari posset. sed quaeritur, quam illud ratione ita institui potuerit: cum pateat de tali ratione tituli pronuntiandi nos cogitare debere, ut sine offensione, ubi utile videretur, illud omitti potuerit.

Ludos, qui Romae vel quotannis vel per occasionem darentur, ita indictos esse, ut genus ludorum et tempus ac locus definirentur, et per se consentaneum est et ex Pseuduli, Plautinae fabulae, versu 546 conici potest. utrum vero per praecones, quorum usus illo tempore frequentissimus erat (cf. Plaut. Merc. v. 663), an iam Plauti aetate per libellos ludi indicti sint, nos ignoramus: illud ex Pseuduli loco nolim cupidius colligere.

sed utcumque hoc sese habet, inde, quod ludi indicebantur, minime per eandem occasionem fabulae titulum pronuntiatum esse efficitur. id sine ulla dubitatione Rostius contendit (Opusc. Plaut. I p. 295). nos quidem concedimus de illa ratione aptissime cogitari, sed non minus probabile aliud videtur, paullo ante ipsam actionem, quae scitu necessaria essent, in scaena spectatoribus proposita esse. nec profecto ambigi licet, quin hoc nobis magis probandum sit, siquidem respicimus, quod iam supra significatum est, rem ita comparatam fuisse, ut nonnumquam certa intercedente caussa tituli pronuntiatio in prologum differri posset.

Cum antecedente nostra argumentatione manifesto conveniunt, quae Donatus de eadem re indicavit potius, quam certo consilio memoriae tradidit. in exitu enim *Fragmenti de com. et trag.* haec leguntur (Kl. p. XIX, 35 sqq.): *»Qui huiusmodi (deest in Cod. Par. 1)) modos faciebant (c. Par. »faciebat«), nomen (subintellegas »cius«) in principio fabulae et (Schopenus conicit »ut et«) scriptoris et actoris superponebant (c. Par. »bantur«). Huiusmodi adeo (deest in c. Par.) carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent (»dicerent« Muretus scripsit, ut Schopenus me monuit, in Terenti editione, quae Venetiis a. 1575 apud Aldum typis impressa est), quam fabulam acturi scaenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis (c. Par. »ipsius«) antecedens titulus pronuntiaretur.«* cui Donati haud ambiguo loco Ritschelius Parerg. Pl. I p. 301 sqq. omnem fidem abrogavit, haec inter alia scribens: *»Titulus wird ganz einfach der Name des Stückes sein, und Donatus muss sich eingebildet haben, dass dieser, wie er in den Exemplaren dem Anfange des Stückes selbst vorgesetzt war, so auch bei der Auf-führung mit vorgetragen worden sei.«* sed quod argumentum

1) Is est codex Parisinus membr. 7920 saec. XI, olim Petri Danielis (cf. Ritscheli adnot. crit. ad Suetoni *»Vitam Terenti«* in edit. Reiff.). scripturas huius codicis a vulgata lectione discrepantes afferre mihi per Schopeni, viri illustrissimi, solitam benignitatem licet.

Ritschelius ad Donati auctoritatem infirmendam ex prologorum condicione, praecipue ex Heaut. versibus 7—9 petit, id nunc refutatam puto eis, quae supra de Terenti prologis disputavimus. tesseram deinde illam theatralem apud Orellium Inscr. lat. I n. 2539 ex Romanelli Viagg. a Pomp. I p. 216 expressam, cui et Ritschelius l. c. (etsi de recentiore potius aetate cogitavit) et Grysarius (Allg. Schulzeit. 1832 p. 313. 321) nonnihil tribuerunt, a Romanellio exempli gratia confictam esse Mommsenus (Ber. d. sächs. Ges. d. W. Phil. Cl. I 1849 p. 286) ostendit¹⁾. quas Wieseler l. c. genuinas tesseras affert, eae omnes sedis tantummodo significacionem, non item fabulae vel poetae nomen praebent: ut cum libellis munerariis non magis constet titulum indicatum esse, nulla omnino caussa sit, quin eundem quem Terenti aetate etiam multo post tituli pronuntiandi morem fuisse existimemus. quod si ita fuit, Donatus eo facilius res ad pronuntiationem spectantes cognitatas habere potuit.

Sed ne iniquius agere videar, alio quoque et eo graviore argumento Ritschelius l. c. p. 304 Donati verba aggressus est, quibuscum iam Langius *>Vindic. trag. Rom.<* (Verm. Schriften p. 85) Ciceronis hunc locum comparaverat (Acad. II, 7, 20): *>quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem.<* hic Ciceronem non de fabularum scaenicis actionibus, sed de singulis earum partibus solo tibiaram modulamine cantatis cogitasse Ritschelius dicit. eius autem verba Donatum male intellegentem ad theatrum retulisse et propterea, quo omnia in expedito essent, cetera ex sua sententia expeditivisse. concedimus Ciceronem singula cantica respexisse, largimur Donatum Ciceronis verba in mente habuisse (quamquam verborum similitudo nulla est, res autem, siquidem, quae Donatus refert, vera sunt, tam non erat singularis sine dubio, ut eius notitiam ex Cicerone hauriri non esset necessa-

1) Cf. Wieseler, Denkmäl. d. Bühnenw. p. 37 sqq. et Henzen in Orelli Inscr. lat. v. III c. VI p. 225.

rium): sed tamen illud de tituli pronuntiatione indicium tam diserte et tam confidenter prolatum Donatus non videtur sibi ipse excogitasse neque neglegendum est illum grammaticum, si ei res non plane constitisset, multo simplicius de prologi officio illius modi, id quod ipse Ritschelius in animum induxit, cogitaturum fuisse¹⁾. omnino autem Donatum errasse nihil est, cur arbitremur, praesertim cum omnia cum eis convenient, quae sola ratiocinatione ex prologis effecimus. atque etiam id Donato credendum erit, quod quidem facile ex eius verbis elicitur: eum, qui titulum pronuntiaret, paullo ante prologum prodiisse. hunc enim interdum statim suas partes egisse supra vidimus. num vero pronuntiationi illi tibiaram cantus antecedere solitus sit, an forte Donatus reliquis, quae recte sese habent, illud errore immiscuerit, non audeo diiudicare. quamquam fateor me in ea re, si ita fuerit, non adeo ut Ritschelium offensurum esse.

Difficilius est alium Donati locum expedire (Kl. p. XVIII, 23 sqq.), ubi haec leguntur: *>In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur (c. Par. >pr. pon. ips. nom.<) quam poetarum, in nonnullis poetarum quam fabularum. Cuius moris (c. Par. >modis<) diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam poetae pronuntiaretur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri posset. Cum autem per editionem multarum poetae iam esset auctoritas acquisita (c. Par. >adqu.<), rursus priora poetarum nomina (c. Par. >nom. poet.<) proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur (c. Par. >adqu.<). de hoc loco Ritschelius in Parergis l. c. sic iudicat: *>Hier sieht man deutlich, wie an die Stelle des allein richtigen poncbantur durch das Streben nach Variation des Ausdrucks sich unvermerkt das Missverständniss pronuntiabantur einschlich.<* sed sententia verborum inde a verbis *>cuius moris div.<* q. s. tam perspicua est, ut de consilio variandae locutionis co-*

1) Verba *>antecedens titulus<* nullo modo de prologo intellegi possunt. cf. Ritschl l. c.

igitur nunc illorum locos aggrediamur, in quibus prologus »*nomen comoediae*« eloquitur. talem mentionem aetate, quae post Terentium est (ad id tempus omnes, qui hodie habentur, Plautini prologi referuntur), necessariam non fuisse nisi singulares ob causas vel ex Terentianae aetatis analogia colligendum est. sed etiam certius hoc ex ipsis Plautinis prologis apparet: primum enim Amphitruonis, Aululariae, Captivorum, Cistellariae, Rudentis prologi nullam omnino ullius nominis mentionem praebent¹⁾ neque eam, si iusta uti volumus ratione, librariorum negligentia intercidisse per illorum hodiernam condicionem suspicari licet, id quod de Menaechmorum, Pseuduli, Truculenti prologis non omnino negandum est. deinde vero in Poenulo et in Milite glorioso (de hac quidem fabula, ut videbimus, dubitari potest) comoediae tantum graecum et latinum nomen proferitur, non item latini poetae, quod, nisi iam ante prologum eis, qui aderant, indicatum esset, profecto desideraremus. postremo denique in Milite gl. admonendum est post primum demum actum illud indicium inveniri. nec quemquam fore confido, qui fabulam agi coeptam esse contendat titulo nondum pronuntiato. — Idem autem, quod Terenti et insequente tempore valuisse videmus, in Plauti quoque ipsius aetatem quadrat. nam ut, quae minus certa sunt, omittamus, Aululariae et Rudentis prologi, qui toti propemodum genuini putandi sunt, nullum certissime tituli commemorationi locum praebent. patet autem idem, quod de duobus prologis, de omnibus nobis esse statuum, nisi, cur singuli eximantur, certae rationes afferri possunt²⁾. ex hisce igitur elucet Plautinorum prologorum vulgo quidem non fuisse nomen fabulae eiusque, qui eam scripsisset, spectatoribus proponere.

1) Eas fabulas, quae prologis omnino carent, nos, ut par est, prorsus missas facimus.

2) Contra Plauti nomen et nomina eius comoediarum cum audientibus illo tempore communicata esse constat: nam quo alio pacto nomen illius adeo in populo innotuit, ut vel mortui fabulas »*studiose expeterent*« (cf. Cas. prol. v. 11 sqq.)?

Tali vero sententiae, quam recte se habere ex meo iudicio non est addubitandum, manifesto Asinariae prol. versus 6—12 repugnant:

Nunc quid processerim huc et quid mihi voverim,

Dicam: ut sciretis nomen huius fabulae.

Nam quod ad argumentum attinet, sane brevest.

Nunc quod me dixi velle vobis dicere,

10 Dicam: huic est nomen graecae Onago fabulae:

Demophilus¹⁾ scripsit, Maccius vortit barbare:

Asinariam volt esse, si per vos licet.

ex his versibus suo aliquis iure duo colligat: prologum eo tantum consilio processisse, ut »*nomen fabulae*« (huc pertinet et graeci archetypi et latinae fabulae latinique poetae mentio) spectatoribus indicaret. deinde vero illos versus Plauto ipso vivente et scriptos et pronuntiatos esse. post eius enim mortem in scaena non poterant verba proferri: »*Asinariam volt esse, si per vos licet*«. namque ut largiamur »*volt*« pro praeterito »*voluit*« adhibitum esse, quid vero illud sibi vult: »*Maccius (mortuus!) voluit Asinariam h. f. e., si per vos licet*«? — Contra autem prologi nostri versus 1—5 post Plauti aetatem compositos esse non minus constat: sic enim leguntur:

Hoc agite sultis, spectatores, nunc iam:

Quae quidem mihi atque vobis res vortat bene

Gregique huic et domino atque conductoribus.

Face nunc iam tu praeco omnem auritum populum.

5 Age nunc reside: cave modo ne gratiis.

1) Pro »*Demophilis*« nomine, qui ut novae comoediae poeta alibi nusquam reperitur, Ritschelus Parerg. p. 272 adn. Ladewigio duce hanc lectionem dubitanter proposuit: »*Eam Diphilus*«, ita ut illa forma ex scriptura ^{EAM}DIPHILVS nata sit. nos quidem concedimus mutationem non ita gravem esse, sed tamen dubitamus, num in eo nobis tantopere offendere liceat, quod poetae alicuius novae comoediae nomen ex uno tantum loco notum sit.

animadvertendum est prologum in versibus 2 et 3 sui et spectatorum et gregis et domini et conductorum, non item poetae mentionem facere¹⁾. quod mihi certissimo videtur indicio comprobare illos versus a Plauto, fabulae ipsius poeta, non esse compositos. — Memorabilis deinde similitudo est, quae inter versum 4 et Poen. prol. versum 11 intercedit:

Exsurge praeco: fac populo audientiam²⁾.

quam soli casui eo minus tribuerim, quod eadem in versum 5 cum Poen. prol. versu 15 comparatum cadit:

Age nunc reside, duplicem ut mercedem feras.

atque ex quinto quidem illo Asin. versu, in quo residendi mentio fit, idem consequi videtur, quod ex versibus 2 et 3 collegimus: priorem prologi partem a Plauto certissime abiudicandam esse. nam ante annum 608 Romae nondum gradus in theatro exstructos esse, in quibus sederetur, sed Romanos (id sine dubio ad praecones quoque pertinet) stantes ludos spectasse, nisi ipsi sellas secum tulissent, a Ritschelio luculenta argumentatione demonstratum est (Parerg. p. 209—228). — Tum vero vox »modo« producta ultima syllaba posita est, quod cum a Plautina arte certissime abest (cf. Ritschl Prol. in Trin. p. CLXIX sq.), tum ne ab eis quidem, qui Plautinas fabulas retractantes illam imitarentur, usurpatum esse videtur. nec profecto nos ulla probabili emendatione offensionem illam tollere possumus. — Quod autem ad sententiam verborum »cave modo ne gratiis (resideas)« attinet, vox »gratiis«, ut nostrum »umsonst« in duas partes intellegi potest, quarum utra nobis eligenda sit, senten-

1) Nescio, quibus verbis nisus Liebigius »De prol. Ter. et Plaut.« (Goerlitz 1859) p. 25 haec scripserit: »Nec in tam brevi prologo praeter poetam et spectatores etiam gregis commodi non meministi poetam«. namque nihil est, cur poetam ipsum Asin. prologum pronuntiasset credamus. quod cum a vulgari consuetudine recederet, diserte edicendum fuit.

2) Si cui in Asin. versu 4 singulari quadam cum vi vocabulum »auritus« adhibitum videtur, id prologi scriptor facillime ex ipsius Plauti fabulis (Mil. v. 608. Truc. II 6 v. 8 Gr.) recepisse potest.

tiarum conexu diiudicatur: praeco enim aut ita considerare vetatur, ut nihil det (cf. Capt. v. 948. Poen. IV 2 v. 46 Gr.) aut ita, ut nihil accipiat (Capt. v. 106. Epid. III 4 v. 38. Most. v. 175. Pers. v. 285). illam interpretationem propterea omittendam esse arbitror, quod ne spectatores quidem umquam Romae pecuniam pro spectandi vel sedendi copia solvisse constat: ut qualis in illo versu iocus inesset, audientes perspicere non poterint. altera explicatio manifesto etiam multo minus sana videtur, quia praeco, cum nihil certe tum auferret, ex invitandi ratione nunquam residere potuit. tamen haec nescio an alio modo probari queat, ut imitatore illum Poenuli versum (prol. 15) male intellexisse et, cum verba »duplicem mercedem« ad praeconi praemium et fabulae spectandae copiam referenda essent, de pecunia pro residendo ablata cogitasse existimemus. — Quae cum ita sint, prologi posterior pars e genuina recensione servata, prior autem casu fortuito e retractatione aliqua addita videri possit. qualem rationem permiram esse nemo negabit.

Sed ne illud quidem, versus 6—12 ipsius Plauti esse, nos concedimus, cum »titulum pronuntiare« illo tempore non ex prologorum partibus fuisse paullo ante monuerimus, certa autem caussa, cur in Asinaria res aliter institui debuerit, non apparet. deinde Ritschelius, quae Parerg. I p. 234 sq. adn. de graeci exempli mentione a Plauti aetate satis aliena disputavit, mihi quidem prorsus probavit. illos igitur versus constat neque ab ipso Plauto conscriptos neque in recentiore retractatione additos esse: unum restat, ut eos a viris grammaticis tamquam ipsius Plauti verba confictos esse iudicemus. haec sententia ut in septem istis versibus sese non contineat, sed totum prologum (ultimi tres versus, quos supra non attulimus, nihil praebent, de quo moneatur), quippe qui unius tenoris sit, complectatur, ratio manifesto postulat. omnes igitur quindecim versus ab aliquo grammatico, qui Asinariae nullum praemissum vidit prologum, exempli gratia partim ex aliis prologis misere consuti partim ex didascaliae indicibus excoigati sunt,

quae illi viro etiam tum praesto fuisse putanda est¹⁾. — Ita facilem explicatam habent et totius sermonis summa exilitas et duae illae offensiones, quas in versu 5 inesse supra demonstravimus. fortasse alia quoque eadem ratione excusanda sunt: nam in primo versu iam Liebigius l. c. recte in eo offendit, quod spectatores verbis »*hoc agite*« ita appellantur, ut, quo illud dictum spectet, non perspiciatur. nimis ambigue dictum foret, si poeta eis verbis pro tali locutione usus esset, quales sunt »*silentio adeste*« vel »*animum huc ad fabulam advortite*«. deinde autem versus 2 et 3 aliquod prorsus singulare enuntiatum aut antecedens aut subsequens (ut Aul. II 2 v. 41. IV 10 v. 57. Capt. v. 361) requirunt. unde mihi suspitio nata est post versum 1 nonnulla intercidisse talis fere sententiae: »*Aequo animo accipiat Plautinam fabulam, veterem pro nova*«. atque hanc fuisse pristinam huius loci condicionem confidenter autumarem, si prologum nostrum omnino umquam in fabulae actione adhibitum esse arbitrarer. contra veri non dissimile est scriptorem prologi,

1) In adnotatione saltem quae alii de nostro prologo censuerint, proponamus: Wolffius »*De prol. Plaut.*« (Gubenaë 1812) p. 5 eum genuinum habet, »*agnoscit stylum et orationem Plauti neque minus iocum et facetias in versibus 1—5, ubi audientia petitur.*« Osannus l. c. p. 170 totum prologum ut non Plauti proscibat: »*ipsum enim huius prologi genus tam vile esse et exiguum, ut eum si cum ceteris, qui Plauti sunt, contuleris, ab eodem auctore profectum esse statim negaveris.*« Ritschelii l. c. p. 233 eum propter ipsius Plauti nomen, quod in versu 11 legitur, ab hoc poeta abiudicat et una cum plerisque Plautinis prologis initio saeculi VII p. u. c. tribuit (huic argumento necessitatis aliquid inesse nobis quidem negandum videtur: nam cum per se nullam offensionem movere potest, si quis poeta sui ipsius nominatim mentionem facit, tum vero contrarium ex Heaut. prol. versibus 7—9 consequitur). idem Liebigius l. c. p. 24 sq. censet praeter Ritscheli argumenta alia afferens, »*quod prologus partim brevissimus tamen necessario plus verborum partim adeo concisus sermonem habeat, vix ut verba intellegantur, partim de rebus verba faciat, quae cum re histrionia aliis in fabulis copiosius tractata artissime cohaerant.*«

cum in ista parte alium prologum ante oculos haberet, ea, quae non viderentur recipi posse, prorsus omisisse. — Multo etiam minus certum iudicium de versibus 6—9 proferre audemus, de quibus iam Wolffius l. c. se dubitare fatetur, num ita explicari possint, ut inter versus 8 et 9 nihil excidisse putemus. equidem idem contenderim, cum nullo modo sanum videatur prologum post unius tantum versus digressionem tantis cum ambagibus pergere: »*Nunc quod*« q. s. intercidisse igitur putandi sint nonnulli tales versus, quibus prologus argumentum aut breviter attingeret aut ex initio fabulae perspectum iri enuntiaret. sed eiusmodi dubitationibus in ea ratione, qua nostrum prologum ortum esse vidimus, minus opus esse patet.

De Trinummi prologi versibus 18—21, ad quos nunc pergimus, idem quod de toto Asinariae prologo sentiendum est. sic ei leguntur:

Huic graece nomen est Thensauro fabulae:

Philemo scripsit: Plautus vortit barbare,

20 Nomen Trinummo fecit: nunc vos hoc rogat,

Vt liceat possidere hanc nomen fabulam.

haec verba, ut ex ipsis haud dubie elici potest, in scaena semel tantum, cum fabula Plauto vivente primum ageretur, pronuntiari licuit. sed tamen ne id revera factum esse in animum inducamus, vel magna illa nos admonet similitudo, quae allatis versibus cum Asin. versibus 10—12 est. quibus inter se conlatis facile est suspicatu non Plautum sese ipsum compilasse, sed duos illos locos ex una, ut ita dicam, grammaticorum schola profectos esse. accedunt, quae supra de tituli pronuntiandi necessitate (singularis alius rationis causa hic non magis quam in Asinaria exstat) et de graeci exempli commemoratione in univ. ostendimus. deinde vero, id quod gravissimum est, versus 18—21 cum antecedentibus nullo modo cohaerent. neminem enim non vehementer offendet, quod Luxuria ab eis, quae ipsam et Inopiam et argumentum fabulae attinent, sine transitu v. 18 ad prorsus aliam rem pergat. verum etiamsi tali fere modo transitus fieret:

Nunc quod relicuimus, dicam vobis sine mora:

Vt pernoscat nomen huius fabulae —,

id profecto valde mirandum esset prologum spectatores prius in medium fabulae argumentum ducere, quam de tituli fabulae certiores fecerit. quodsi non iam dubium est, quin nostri prologi versus 18—21 grammaticorum studio debeantur: cavendum tamen est, ne idem de toto hoc prologo aequè statuamus ac de toto Asinariae. ille enim, si in universum iudicatur, Plauti genuinus est et offensiones, quae a viris doctis allatae sunt, ad ultimos, de quibus egimus, versus pleraeque pertinent. Wolffius (De prol. Pl. p. 11. Proleg. ad Aulul. p. 33 sq.) eum ut brevem ita pulcherrimum dicit. Ritschelius, etsi l. c. p. 233 in Plauti nomine offendit, de prologi tamen compositione p. 236 haec scribit: *»So bündig und geschmackvoll wie der (Prolog) zum Trinummus ist keiner weiter«*. Liebigius l. c. p. 38 sq., postquam primo de Plauto auctore dubitavit, ad postremum *»nihil impedire putat, ne Plauti hunc prologum esse dicamus, cui nomen poetae (v. 8) et quae ferunt vss. 18 sqq. postea adiecta sint«*. argumento autem eo tantum utitur, ut Plauti nomen in genuinis prologis legi non debere Ritschelio concedat. — Tres primi prol. versus breviter, sed pulchre et venuste nobis Inopiam a Luxuria in aedes Lesbonici adolescentis intromissam monstrant. in eis, quae subsequuntur, Luxuria, quae sola in scaena relicta est, spectantes ea, quae agantur, sic edocet (v. 4 sq.):

Nunc, ne quis erret vostrum, paucis in viam

5 Deducam, siquidem operam dare promittitis.

Nunc igitur primum, quae ego sim, et quae illaec siet,

Huc quae abiit intro, dicam si animum advortitis.

Primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit:

Tum illanc mihi esse gnatam voluit Inopiam.

10 Sed ea quid huc introierit q. s. 1).

1) In palimpsesto Ambros. versus 8 et 9 in unum contracti sunt *»Primum mihi gnatam esse voluit Inopiam«*. idem codex versum 10 post versum 7 conlocat. tamen ex his discrepantiis nihil ad genuinam prologi condicionem pernosendam proficimus.

Ex Plauti nominis mentione (v. 8), cum Ritschelius prologum subditivum, Liebigius hanc prologi partem retractatam esse colligat, equidem contrarium contenderim. iam supra (p. 22 adn. 1) poetarum nomen, si forte in prologis exstaret, per se nulli obnoxium esse offensioni ostendimus. deinde vero, si in posteriore demum recensione totus prologus additus est, cur eum is, qui illam recensionem instituit, ad Plautum scriptorem revocavit? an eo consilio, ut prologi fucosa origo obtegatur? fatendum est universam illius brevis et obiter factae mentionis rationem talem suspicionem non adiuvere. si autem Plautum prologum scripsisse ex illo versu veri simile fit, nihil est, quod eum versus 8 et 9 aliis verbis composuisse arbitremur. quatenam, quaeso, sana ratio excogitari potest, cur Plauti nomen, si a principio in illis verbis non exstaret, a recentioribus ita illatum sit, ut ei simul toti permutarentur? nam leni mutatione illud extrudi nequit. — Si praeterea respicimus ea, quae in fabularum *διασκευαίς* adiecta sint, pleraque omnia alius et rationis et sermonis esse, mihi quidem perprobabile esse videtur Plautum ipsum Trinummi prologum, Plauto profecto dignissimum, excogitasse, praesertim cum a tota illa fabula recensentium (eas dico recensiones, quae fabulae referendae gratia institutae sunt) temeraria manus pro-sese abstinuisse videatur.

Sed tamen vel seiunctis versibus 18—21 prologus, qualis hodie legitur, ab ea, quam genuinam fuisse suspicemur, specie abest. nam versus 6 et 7 explicant tantum disertius, quod in antecedentibus iam satis indicatum est, atque ita, ut in paucis versibus eadem paene locutiones repetantur. quod eo molestius fit, quod totus prologus manifesto brevitati valde studet. his de caussis satis persuasum habeo duos illos versus alicui ludi-bundo lectori (de prologi retractatione hic non est cogitandum) aequè tribuendos esse atque Cistell. I 2 versus 7—10 (ed. Gr.), quorum ratio nostris simillima est, et quos, cum praeterea in codice Ambr. omitterentur, Ritschelius Parerg. p. 237 adn. rectissime removendos esse censuit.

Studiimus in eis, quae antecedunt, Trin. prologi maiorem

partem genuinam esse comprobare ac genuinae recensionis elegantiam restituere¹⁾. eo magis, ut spero, confirmatum evadet nostrum de ultimis versibus iudicium. — Si vero ex duabus fabulis constat grammaticos Plantinos prologos (fortasse secundum Terentianorum prologorum exemplum, ut in quibus tituli — quamvis diversa — mentio fieret) interpolasse, nostro iure idem de aliorum quoque prologorum similibus locis statuemus, siquidem rationes non desunt: neque enim prorsus negandum est graeci praecipue archetypi mentionem posse ab eis, qui fabulas Plantinas retractarent, additam esse. quapropter nunc de singulis locis videamus.

Mercatoris fabulae prologus (act. I sc. I) praeter consuetudinem a Charino adolescente, cuius in ipsa comoedia primae partes sunt, pronuntiatur: in eius initio versus 3—17, qui ordine prorsus turbato in libris traduntur, a Ritschelio Parerg. p. 17 sqq. (cf. edit. Ritschel. ad h. l.) ita ordinati sunt, ut nemini non assentiendum videatur. hoc igitur restituto ordine septem primi versus ex Ritscheli recensione sic leguntur:

Duas res simul nunc agere decretumst mihi:

Et argumentum et meos amores eloquar;

Etsi hoc parum hercle more maiorum institi,

Pro mea persona ut sim ad vos index ilico.

5 Graece haec vocatur Emporos Philemonis:

Eadem latine Mercator Macci Titi.

Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum q. s. horum versuum conexum ac sententiarum continuitatem versibus 5 et 6, qui titulum indicant, graviter perturbari mihi quidem satis in aperto esse videtur, quamquam Ritschelius l. c. haec profert: »*Illam Charini excusationem (v. 3 et 4) commodissime ipsa nomina cum latinae tum graecae fabulae una cum nomini-*

1) Dubito equidem an ab ea vox quoque »*tum*« (v. 9) valde aliena sit, quae, cum in versu 8 »*primum*« ad sequentem particulam »*sete*« (v. 10) referendum sit, perlanguide aut certe nimis ambigue posita videtur.

bus poetarum excipiunt«. huiusmodi enim mentio, cum neque ad argumentum fabulae neque ad amores adolescentis pertineat, quae sese elocuturum Charinus plane pronuntiat, orationem huius manifesto interrumpit¹⁾. in ceteris prologis, quicumque tale aliquid afferunt, ab eis versibus, in quibus comoediae nomen commemoratur, vel diserte vel profecto perspicue argumenti enarratio disiungitur (cf. Asin. v. 7 sqq. Cas. prol. v. 29 sqq. Mil. gl. v. 85 sqq. Poen. prol. v. 50 sqq. Trin. v. 16 sqq.). ex ipsa igitur nostri prologi dispositione versus 5 et 6 probabile fit e textu removendos esse ut a grammaticis ex didascalica additos, qua codices primitus non caruisse etiam nunc Ambrosiani palimpsesti condicio nos quodammodo docet (cf. Ritschl. Parerg. p. 297. Praef. in Merc. p. V). atque haec de illis versibus sententia vel maxime eis confirmatur, ne dicam postulatur, quae de universa tituli pronuntiandi ratione disseruimus, quae et Plauti aetate et multo posteriore eadem fuit. — Ceterum iam ante me Osannus l. c. p. 172 illos versus reiectaneos censuit, sed eiusmodi usus argumentatione, ut non miremur, si Ritschelio eam non probavit.

Non magis Militis gloriosi versus 83—87 cum antecedentibus 79—82 consociari possunt. post primum enim actum, in quo Pyrgopoliniciis militis cum Artotrogo parasito altercantis mores facete proponuntur, in act. II scaena I Palaestrio servus prodit audientibus argumentum enarraturus. ipsi autem argumento versus 79—87 sic praemittuntur:

Mihi ad enarrandum hoc argumentumst comitas,

80 Si ad auscultandum vostra erit benignitas.

Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras,

Vt sit, ubi sedeat ille qui auscultare volt.

Nunc qua adsedistis causa in festivo loco,

Comoediai, quam modo acturi sumus,

1) Neminem puto fore, qui hanc offensionem lacuna ante illos versus statuenda (»*Sed ante vobis nomen fabulae eloquar*«) tollere serio velit.

85 Et argumentum et nomen vobis eloquar.

Alazon graece huic nomen est comoediae:

Id nos latine gloriosum dicimus.

quattuor primi versus argumenti expositionem indicant: eorum duo posteriores propter singularem sedendi mentionem certissime recensionem alicui tribuendi sunt. utrum vero priores duo item ex illa profecti an ex genuino prologo servati sint, certo diiudicari nimirum nequit. quid autem, quod in eis, quae sequuntur (v. 83—85), miro sane modo iterum argumenti enarratio indicatur, cum ex antecedentibus, siquidem fabulae nomen afferri prologi scriptor voluit, nihil aliud expectemus nisi tale quid: »Sed antea vobis comoediae nomen eloquar«? illos tres versus ita pronuntiari, quasi nulladum argumenti mentio, sed aliud praecedat, manifestum est. omissis autem versibus 83—87, qui Plauti ipsius propter versum 83 esse nequeant, non modo sententiarum conexus non minus evadit bonus, sed etiam offensio illa prorsus tollitur. quam ratiocinationem si cum eis conferimus, quae de nomine comoediae iam ante prologum proponendo statuitur, in illis quoque versibus non eorum, qui fabulam retractarint, sed grammaticorum operam pernoscendam esse evincitur. — Hinc nescio an probabile fiat Ritschelium nimium fuisse de versu 87 sic iudicantem (Praef. in Stich. p. XVIII adn.): »Probabiliter posse demonstrari puto interpolationi versum 87 debere eiusque loco duos olim lectos esse ipsum nomen latinae fabulae prodentes, velut tali exemplo:

Ei Militi esse glorioso fabulae

Nomen poeta voluit vorsae barbatae.

cogitari enim potest grammaticum, cum illos versus faceret, nihil aliud egisse nisi ut graeci exempli nomen nobis referret et latinum nomen quodammodo tangeret. atque omnino viri grammatici, quibus talia additamenta deberemus, diversi ingeni fuisse putandi sunt. quamobrem mihi magis probantur, quippe quod cautiora sunt, ea, quae Ritschelius in Parergis Pl. p. 203 de eodem loco censuit. etsi illam de lacuna coniecturam valde speciosam esse concedimus.

Multo minus confidenter de Poenuli prologi versibus 50—54

Sed nisi molestumst, nomen dare vobis volo

Comoediai: sin odiosum, dicam tamen:

Siquidem licebit per eos, quibus est in manu.

Carchedonius vocatur haec comoedia

Graece, latine Patruus Pultiphagones¹⁾ —

iudicamus, quia cum eis versus 55—58, quibus ad argumenti enarrationem transitus fit, artissime cohaerent et quia totum prologum ex retractatione tantum parum scita habemus. sed tamen sunt, quae hic quoque grammaticorum studium monstrare videantur. — Ex ipsis istis verbis, cum Plauti nomen non commemoretur²⁾ nec quidquam excogitari queat, cur in Poenulo res aliter se habuerit atque in ceteris fabulis, tituli pronuntiationem prologo antecessisse patet. necessarii igitur illi versus 50—54 omnino non erant atque eos a Plauto non scriptos esse et totus dicendi color non ita Plautinus et nomen istud pro »Poenulo«³⁾ substitutum evincunt. sed ne eos, qui Plautinas fabulas post Plautum referrent, versus 50—54 addidisse putemus, praeter illud argumentum, quod ad tituli pronuntiationem pertinet, id quoque dissuadet, quod, ut iam monuimus, fabulae, quae vulgo »Poenulus« appellatur, hic quidem »Patruo Pultiphagones« nomen est, quo Ritschelius l. c., etsi non facete, tamen aptissime Hannonem Carthaginiensem denotatum esse dicit. de ea re non possumus nos recte iudicare nisi alio Mostell. loco

1) Hunc versum, qui in codicibus sic exhibetur: »Latine Plautus Patr. Pult.« ex Ritscheli (cf. Parerg. p. 205) pulcherrima coniectura proposuimus. — Versus 52, quocum conferendus est Amph. versus 80, post illud graviter dictum »dicam tamen« valde languet. sed cum non versemur in Plauti verbis emendandis, caute nobis agendum est.

2) Huic argumento minus tribuimus propterea, quod existere potest, qui ex codicum scriptura (cf. adn. 1) poetae mentionem intercidisse coniciat.

3) Hoc esse genuinum fabulae nomen non est addubitandum (cf. Ritschl Parerg. p. 204 sqq.).

in auxilium vocato, ubi Tranio servus aedium postes laudaturus, cum ei obiciatur *>tarmitem eos ab infumo secare<*, haec respondet (v. 826 sqq.):

Intempestivos excisos credo: id eis vitium nocet.

Atque etiam nunc satis boni sunt, si sunt inducti pice.

Non enim haec *pultifagus* opufex opera fecit barbarus. hoc loco Scaliger in Varr. de r. r. III c. VII *>pultifagum opificem barbarum<* de Poeno intellegi vult, *>quia Poeni lignario opere inclaruerint, et quia Plautus Carchedonium comoediam latine inscripserit Patrum Pultifagonidem<*. nam Poenos *pultifagos* fuisse pultem esse argumento, quae a Poenis Punica vocata sit. rectissime tamen Rostius Opusc. Pl. I p. 251 sq. illud argumentum prorsus improbavit, cum ex illo loco contrarium potius appareret: alterum autem leve esse dixit, quippe cum non soli Poeni, sed Romani quoque et ei maxime atque adeo Graeci pulte usi essent. ex illo igitur loco nihil cupidius colligendum est nec sane utique reicienda eorum sententia, qui de Romanis illo tempore lignarii operis fortasse satis imperitis cogitent. sed ut largiamur in Mostell. versibus Poenos significari, de eo dubitari nequit, quin *>pultifagus<* cum contemptu quodam dictum sit. iam vero in Poenulo *>patru Carthaginien-sis<* mores et ratio non eiusmodi sunt, ut iure eis illudatur: ad fabulae igitur argumentum illud nomen non spectat. simpliciter autem pro Poeno id dici posse ex eis, quae attulimus, negandum est. unde dubito an is, qui illos Poenuli versus conscripsit, Mostellariae locum de Poenis interpretatus hanc appellationem, quae ei placeret, nostrae fabulae inferre voluerit parum curans, num perspicue fieret. talem autem neglegentiam grammaticis aptius vel cuilibet lectori quam eis, qui fabulam in scaena acturi erant, vitio dabimus. — His igitur duabus de causis Poenuli versus 50—58 item ut ceteros similes locos, de quibus iam disputavimus, ex alicuius grammatici ingenio quamvis dubitanter repetimus, qui ad versus 56—58 componendos fortasse alius prologi exemplum adhibuit.

Nolumus in antecedentibus eo argumento uti, quod versus

50—58 parum cum versibus 46—49 convenient, in quibus ipsius argumenti expositio promittatur (v. 50 sic potius ad comoediae nomen transeundum erat: *>sed . . . antea vobis<* q.s.), et versus 48. 49 a sententia versuum 55—58 proxime absint. sed illi ipsi versus 46—49 summam nostram suspicionem excitant propter duos priores versus, qui ex codicis Veteris auctoritate sic leguntur:

Ad argumentum nunc vicissatim volo

Remigrare, ut aequè¹⁾ mecum sitis gnarures.

in voce *>remigrare<* iam Liebigius l. c. p. 36 valde offendit, qui, *>cum prologus de argumento h. l. primum faciat verba neque antea quidquam nisi silentium et aequanimitatem omnium auditorum curaverit, legendum censet: 'migrare, ut aequè' q. s.<*. verumtamen cum hoc violentius actum videatur, praeterquam quod vox *>vicissatim<* verbum *>remigrare<* satis tuetur, cum Liebigio consentire nequeo nec possum facere, quin illos versus ex alia fabula huc illatos esse suspicer. nam offensionem memoratam nec transpositione tollere possumus neque ullum exstat indicium, quo subsequentem argumenti enarrationem ab initio aliter institutam fuisse probabile fiat. sed quidquid de versibus 46—49 statuimus, tam certo nequit diiudicari, ut inde de sequentibus liceat argumentari versibus.

Vnus igitur Casinae prologus nunc restat, in quo tituli et graeci archetypi sic mentio fit (v. 29—34):

Aures vacivae si sunt, aminum advortite:

Comoediai nomen dare vobis volo.

Clerumenoe vocatur haec comoedia

Graece, latine Sortientes. Diphilus

Hanc graece scripsit, post id rursus denuo

Latine Plautus cum latranti nomine.

talem mentionem cum vulgo a prologis afuisse perspexerimus, ad hanc difficultatem expediendam alia nobis via atque in ceteris prologis ingredienda est. recordari debemus singularis, qua

1) Editiones numero respuente praebent: *>remigrare aequè ut.<*

Casina acta sit, condicionis. ex ipsius enim prologi iudiciis Ritscheli perdiligenti argumentatione Parerg. p. 180 sqq. fabulam illam cum nostro prologo a. 600 p. u. c. aut paullo post in scaena datam¹⁾, tunc autem primum clarioribus poetis omnibus iam mor-

1) Hoc omnibus, quod scio, adhuc probatum est. unus Mommsenus (Mus. Rhen. n. X p. 122 sqq.) in contrariam partem disputavit, sed ita, ut mihi quidem prorsus non persuaserit. is enim Ritscheli argumentatione improbata propter duas potissimum causas nostrum prologum aetati multo posteriori tribuendum esse putat: altera est, quod spectatoribus antiqua opera et verba placere dicuntur (v. 8), alteram ex novorum nummorum mentione (v. 10) petiit. illam quam ipse concedit suapte natura in universum tantum valere, tamen ad Sullae nos aptius aetatem quam Mummi vocare contendit. de tali discrimine diiudicare perdifficile est, cum, quae illius aetatis singulis spatiis propria fuerint, parum sciamus. sed tamen quod ad antiqua verba attinet, fortasse non iniuria illud enuntiatum ad grammatica studia referimus, quae Romae inde ab Ennio vigeant (Mommsenus quidem dicit: »Vor L. Aelius Stilo wird von archaologischen Sprachforschung kaum die Rede gewesen sein«). de antiquis operibus minus constat. sed dubito an de ea Romanorum industria cogitandum sit, quo iam tum graecae artis opera undique sibi parabant: cuius rei luculento testimonio ratio est, qua Mummius paullo post in Graecia imperio suo abutebatur (cf. Mommsen Roem. Gesch. ed. III vol. II p. 48). veterem deinde Plauti fabulam triginta annis post mortem illius cum antiquis operibus non inepte conferri potuisse unusquisque eo magis concedet, quod spectatores illo tempore novas potissimum fabulas expetebant. — Multo maiorem quam huic argumento alteri Mommsenus tribuit vim, quod in prologo de vilibus novis nummis sermo fit. Ritschelio, qui de assium imminuto pretio cogitavit (legem Papiriam, qua semunciales asses facti sunt, ad illud tempus refert), suo iure duo opposuit: quod tali ratione, cum Romani argenteis maxime nummis illa aetate uterentur, commercium non ita multum turbari potuerit et quod »nummus« vox non de aere, sed de argento tantum nos cogitare sinat. tum vero ratiocinator argenteorum nummorum pretium per longum post Plauti mortem tempus non esse imminutum, tempore autem Marsici belli M. Drusum, tribunum plebis, a. 663 rogasse, ut aes argento misceretur (inter octo probos nummos unus adulterinus cudebatur). in qua

tuis aliquem dominum gregis veterem fabulam pro nova agere conatum esse ostendit. hanc autem illius fabulae rationem spe-

sententia sibi constitisse videtur in libro »Gesch. d. roem. Muensie«, etsi nostri prologi disertam mentionem ibi non facit (pertinent ad illam aetatem pagg. 288 sq., 308, 338, 382 sqq., 892 sqq.). illuc igitur Mommsenus versus 10 spectare existimat atque ex hac sua computatione prologum ad annos circiter 660—670 refert. quocum convenire dicit, quod in nonnullis prologi locis ad illius temporis eventa alludatur. his vero cum ipse nullam demonstrandi vim tribuat, nos ea nostro iure praetermittamus atque ad alia transeamus eiusmodi, ex quibus illam de »novis nummis« sententiam reprobendam appareat, quippe quod relatae fabulae tempus confidenter possit nulla versus 10 ratione habita definiri. versus enim 11—16 respicienti sic Mommseno propter singularem suam opinionem iudicandum erat: »Es würde anzunehmen sein, dass die alten Stücke der alten Palliata des sechsten Jahrhunderts bis etwa 620—630 sich fortwährend auf der Bühne erhielten, dann vom Repertoire verschwanden und nach einer Unterbrechung von etwa 30—40 Jahren wieder hervorgesucht wurden, um in der ciceronischen Zeit zum zweiten Mal die Bühne zu beherrschen.« sed ex versibus 1—10 certo elucet veteres fabulas, cum noster prologus scriberetur, pro novis agi nondum coeptas esse. id vero, postquam semel factum esset, inter annos 630—660 non accidisse nemo profecto credit. idem vel ex versu 15 colligi potest: »Nam iuniorum qui sunt, (fabulam) non norunt scio«. quod, nisi nullae omnino ad illud tempus mortuorum poetarum veteres fabulae actae essent, non licuit tam confidenter enuntiari. accedit, quod versu 17 (»Haec quom primum actast, vicit omnis fabulas«) ad Casinam commendandam primae tantum actionis mentio fit et quod pergitur:

Ea tempestate flos poetarum fuit,

Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

20 Sed tamen absentes prosunt hic praesentibus.

ubi aperte dictum est paullo ante »flore illam poetarum« e vita decessisse et tum primum eorum fabulas novarum loco referri. aliud deinde, quod ipse Mommsenus attulit argumentum nimis leviter neglexisse videtur: versu enim 71 serviles nuptiae »Carthagini ferri« dicuntur, Carthago autem iam a. 607 (fast. Cap.) deleta est. id ille sic excusavit: »Der Prolog hatte ja ein altes lange vor Karthagos Zerstörung geschriebenes Lustspiel zu vertheidigen und konnte sich da-

ctatores ante prologum nondum rescivisse primi quattuor versus aperte docent:

Salvere iubeo spectatores optimos,
Fidem qui facitis maximi et item¹⁾ vos Fides.
Si verum dixi, signum date clarum mihi,

Vt vos mi esse aequos iam inde a principio sciam.

hos Ritschelius Parerg. p. 202 rectissime sic interpretatus est: »Ihr erwartet hier eine fabula nova, ich will euch aber ehrlich bekennen, dass es, wenn allerdings keine vetus von gewöhnlichem Schlage, doch auch eine eigentliche nova nicht ist, sondern eine uralte Plautinische, die euch nur so gut wie neu sein wird«. cum igitur ei, qui aderant, novam sine dubio comoediam expectarent, nullam omnino tituli pronuntiationem antecessisse plane apparet nec versus supra memorati ullam nobis offensionem praebent. quae cum ita sint, hoc Casinae exemplo ea, quae supra in universum de tituli pronuntiatione et singulatin de Heeyrae et Heauton timorumenu actionibus exposuimus, manifesto confirmari videmus.

her sehr wohl auf den Brauch von Karthago berufens q. s. hoc mihi negandum videtur: nam qui cum Mommseno de tempore multo posteriore cogitat, aut exemplis comprobare debet »Carthaginem« simpliciter pro »Punica terra« etiam post deletam illam urbem usurpari aut statuendum ei est versus 67 — 78 ex Plauti genuino prologo non mutatos remansisse, id quod parum probabile est. nos eodem loco usi contendimus illam partem (cf. v. 76 verba: »Poenus dum iudex siets«) eo tempore esse conscriptam, cum Romani cum Poenis in pace viverent. atque id optime quadrat in annos post initium saeculi VII proximos. — His de causis (unam sciens omisi, ut de qua non posset obiter disputari, inde petitam, quod c. a. 665 corpus Plautinarum fabularum a viris grammaticis iam confectum esse videtur, ita ut postea novum prologum accessisse veri satis dissimile sit) Mommseni sententia reprobata ea, quae Ritschelius de illa prologi parte statuerit, prorsus amplectenda esse censeo.

1) »et item« Ritschelius l. c. p. 201 pro »et«. in sequente versu codices exhibent »clarum date m.«: »date clarum m.« ab Osanno Anal. p. 169 repositum est.

Cum illo prologi exordio Ritschelius l. c. p. 204 id contulit, quod fabulam nostram »Casinam« — »Sortientes« nominari videmus. quam ille mutationem sic explicat: »Ich wüsste aber schlechterdings nicht, was für ein Grund zu solcher Umtaufung veranlassen konnte, wenn es nicht das erörterte Verhältniss war, wonach das Stück als Stellvertreter einer nova fabula sollte gegeben werden, unter seinem alten Namen aber natürlich als eine nicht-nova gleich von vorn herein, noch vor der Auf-führung, wäre erkannt und (von einem Theile der Zuschauer wenigstens) mit Missvergnügen aufgenommen worden, ohne dass eine begütigende Bevorzugung zuvor die Gunst des Publikums gewinnen und eine nachsichtige Stimmung bewirken konnte«. factor equidem, ut haec permutati nominis caussa vere investigata sit. quid enim? potuitne ullo tempore solius fabulae nomen ante actionem pronuntiarum poetae nomine omisso? hoc et per se valde improbabile est et Terentianis prologis certissime refutatur. si vero »Plauti Sortientes« datum iri indicabatur, nemo profecto tum de nova fabula cogitabat.

Alia potius illius mutationis caussa in propatulo est, modo in memoriam revocemus illius aetatis singulare studium, quo »omnia quam maxime graeca esse« volebant (cf. Plaut. Men. v. 11). ipse Terentius in una Phormione nomen graeci exemplaris mutavit, nec vero in prologo (v. 26 sqq.) latini nominis rationem afferre omisit. ille igitur, qui Casinam repetiit, graecum nomen »Κληροῦμενοι« tantummodo in latinam linguam vertit et hoc nomen relatae fabulae indidit.

Nunc ut paucis comprehendamus, quae in antecedentibus effecisse nobis videtur: ex Terentianis prologis evicimus, quod cum Donati haud dubia memoria plane consentit, comoediae titulum (i. e. nomen fabulae eiusque, qui eam scripsisset) illo tempore spectatoribus vulgo quidem paullo ante prologum pronuntiatum esse. nonnumquam tamen illum (ut in Heauton timorumenu, cuius nos prologi initium, quod valde per-

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

- I. *Hesiodi κατάλογον γυναικῶν et Ἡοίας diversa ab initio fuisse carmina ex ipsis eorum fragmentis evinci licet.*
- II. *Eurip. Herc. f. versus 714 (Nauck) eiciendus et versus 712—718, qui nunc per σιχομεθίαν leguntur, uni Lyco tribuendi sunt.*
- III. *Lycurg. or. in Leocr. p. 150 m. (Steph.) legendum censeo: ὡς καὶ μεγάλα καταβλάψειε τὴν λευγισσοτήν [om. μετέχων] αὐτοῖς.*
- III. *Nicandri Coloph. Αἰγολ. fragmentum 5 (ed. O. Schneider) sic restitimus O. Schneidero duce:
οἱ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηρίδος ὀρυθίνεες,
οἱ μὲν τὴν Ἐρεσον, οἱ δὲ πρότερόν [ποτε] Λήλον
κλειομένην, ἄλλοι δ' ὁμοτέρονα νῆσον [ἐναίον]
Στελείης, ὅθεν Ὀρτυγία πᾶσαι βοῶνται.*
- V. *Plant. Poen. V 2 versum 25 Micioni tribuimus, ante hunc autem aliquem Hannonis versum intercidisse contendimus Punicè perscriptum.*
- VI. *Choragi, quorum in Plantinis fabulis passim mentio fit, plerumque non erant domini gregis (aliter Mommsen Roem. Gesch. ed. III vol. I p. 886).*
- VII. *Terent. Hec. IIII 4 versus 58 (v. 680 Fl.) sic fere scribendus est:
Nunc postquam ademptam tu hinc [quoque] tibi causam
vides q. s.*
- VIII. *Lex Licinia, ne quis Romanus plus quingenta iugera possideret, ad agrum publicum tantummodo spectavit.*

194021

DE PROLOGORUM PLAUTINORUM
INDOLE ATQUE NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILIELMA
BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS
DIE VIII M. FEBRUARII MDCCCLXXX
PUBLICÈ DEFENDET
AUCTOR
PAUL TRAUTWEIN
MARCHICUS.

ADVERSARIJ ERUNT:
R. ULLRICH, DR. PHIL.
I. BIEGER, DRD. PHIL.
H. DOEGE, CAND. PHIL.

BEROLINI, 1890.
HEINRICH & KEMKE.

JOANNI VAHLENO

S.

Aelii Donati ad fabulas Terentianas commentarium et vita Terentii ex Suetonio sumpta et longior *de comoedia* commentatio ¹⁾ antecedunt. Quam si quis festinanter modo perlegerit, non unam esse neque ab eodem viro docto profectam statim perspiciet, sed consutam e duabus partibus, quibus eadem fere res eodem ordine eisdem saepe verbis tractantur. Atque priorem quidem partem esse Euanthii grammatici cum primus viderit Lindenbrogius ²⁾, posterioris auctorem esse ipsum Donatum, quamquam non locupleti argumento demonstrari potest, tamen non sine verisimilitudine Westerhovius est suspicatus ³⁾. Atque ut in ipso commentario permulta insunt, e quibus magnum ad Terentii fabulas explicandas fructum capere possumus, ita ea quae hic de tragoedia et comoedia referuntur, non inutiliter leguntur. De comoediae autem compositione Donatus haec ⁴⁾: »*Comoedia autem dividitur in quatuor partes, prologum protasin epitasin catastrophen: prologus est prima dictio, a Graecis dicta πρώτος λόγος. id est antecedens veram fabulae compositionem elocutio: eius species sunt quatuor: συστατικός commentaticius, quo poeta vel fabula commendatur, ἐπιτηρητικός * **

¹⁾ In Zeunii Terentio p. XXV. Novam et accuratam huius commentationis editionem e Schopenii plenissimo apparatu critico curavit A. Reifferscheid in indice scholarum Vratislaviensi hiemis 1874/75.

²⁾ Rufinus Antiochensis in libro de metris Terentianis bis affert Euanthii verba, quae nostris in prolegomenis leguntur. cf. Keil Gr. Lat. VI. p. 554.

³⁾ Usenerus M. Rh. 23, 493 in ipso commentario, quod nunc habemus, Euanthii vestigia detexisse sibi videtur, de qua re dubitari potest.

⁴⁾ Verba ex Reifferscheidii recensione exscripsi.

relativus, quo aut adversario maledicitur aut populo gratiae referuntur, δραματικός, argumentativus, exponens fabulae argumentum, μίχτός, mixtus, omnia haec in se continens. inter prologum et prologium quidem hoc interesse voluerunt, quod prologus est, ubi aut poeta excusatur aut fabula commendatur, prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam e. q. s.¹⁾. Quae hic de comoediae prologis exponuntur praecipue ad Terentii fabulas spectantia si comparantur cum notissimo et saepe laudato Aristotelis loco (περὶ ποιητικῆς c. 12), ubi ille prologum tragoediae sic definit: ἔστι δὲ πρόλογος μέρος ὅλον τραγωδίας τὸ πρὸ τοῦ χοροῦ παρόδου, facile intellegitur, quam diversae res uno eodemque nomine significantur. Errat autem si quis putat in ipsa tragoediae et comoediae natura hoc discrimen positum esse, quod potius ex aetatis differentia et ex diverso singulorum poetarum ingenio explicandum est.

Unaquaque enim in fabula poetae nonnulla praemittenda sunt, quibus edoceantur spectatores vel de rerum condicione, qua actione inente singulae personae utantur, vel de eis, quae quamquam facta sunt prius quam fabula initium capiat neque in ipsa actione locum tenere possunt, tamen ad illam intellegendam desiderari nequeunt. Hoc ad officium praestandum duae per se cogitari possunt rationes, cum poeta aut omnes quae huc spectant res in unam atque continuam orationem coërcitas, priusquam fabula agi coepta est, audientibus enarret, aut singula quae cum spectatoribus communicanda sunt, primis personarum agentium orationibus ita immisceat, ut fabulae ipsius pars esse videantur. Quarum alteram priore multo magis poetam decere et ei palmam dandam esse, qui orationes

¹⁾ Euanthius brevis haec: Comoedia per quatuor partes dividitur, prologum protasin epitasin catastrophem. est prologus velut praefatio quaedam fabulae, in quo solo licet praeter argumentum aliquid ad populum vel ex poetae vel ex ipsius fabulae vel ex actoris commodo loqui. protasis primus actus initiumque est dramatis c. q. s.

ita disponere scit, ut etiam causae perspiciantur, cur sic, non aliter, singulae personae loquantur, cum facile inter omnes conveniat, fabulae componendae rationem eo modo progressam esse exspectamus, ut a rudiore et simpliciore ad artificiosorem transitus fieret. Sed fabulas quae nobis traditae sunt perhistrantes viam prorsus inversam poetas ingressos esse videmus. Antiquiores enim, Aeschylus et Sophocles, perpaucis ubi chori cantico statim in medias res rapimur fabulis exceptis (Aeschyli Persae et Supplices) semper ita rem instituerunt, ut ex colloquio earum quae primae in scaenam prodeunt personarum auditores discere possint quae ad actionem perspicendam necessaria sunt. Contra Euripides, ut multa alia novavit ita in prologis faciendis ratione a ceteris poetis plane aliena constituta omnibus suis fabulis¹⁾ longiores praemittere solet narrationes, quibus universae res ad argumentum spectantes continuo sermone pronuntiantur. De hac ratione clarissimi poetae, quem Aristoteles²⁾ τραγικώτατον γε τῶν ποιητῶν nominat, multi multa dissernerunt, cum in ea sane insint quae aut mira nobis aut vituperatione digna videantur. Quamquam enim hi prologi aliquo vinculo cum fabulae actione cohaerent propterea quia personae argumentum enarrantes aut in ipsa fabula colloquentium partes agunt, aut dei sunt quadam ratione cum rebus agendis connexi, tamen altera ex parte prorsus soluti sunt. Saepenumero enim res ita se habet, ut in longa prologi expositione nihil omnino proferatur, quod non ipsa in fabula ex colloquentium sermonibus discere possimus. Omnibus igitur in his fabulis non modo omisso toto prologo³⁾ statim ex agentium diverbio comoedia initium capere potuit,

¹⁾ Una excepta est Iphigenia Aulidensis, qua in fabula non initio posita est argumenti enarratio, sed medio dialogo inserta.

²⁾ Aristot. περὶ ποιητικῆς c. 13: ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ ἐν οἰκονομίᾳ, ἀλλὰ τραγικώτατος γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.

³⁾ Prologi nomine hic primam orationem continuam significo, quamquam non immemor sum Aristotelis definitionis, qui prologum omnia esse dicit quae chori ingressum antecedunt.

sed etiam nostro quidem iudicio aptius et artificiosius res ita instituta esset. Hac poëtae consuetudine non recte perspecta interpolationis suspicio saepe coorta est atque eo nonnulli viri docti progressi sunt, ut dimidiam fere prologorum partem ut spuriam exstinguerent atque delerent¹⁾. Neque minus illud alterum nobis offensionis est, quod persaepe poëta non modo ea quae ad fabulam intellegendam necessaria sunt, praemittit, sed omnia quae ab initio usque ad finem tragoediae in scaena aguntur, breviter iam et summatim continua prologi oratione describit. Sic enim non, ut nobis fas esse videtur, eodem ordine quo res in scaena fiunt, etiam de eis spectatores edocentur, sed priusquam omnino agi coeptum est, omnia futura audientes iam sciunt. Etiam de hac re criticorum sententiae longe discedunt. Cum enim plerique hoc factum esse censeant poëtae inertia vel negligentia et hic tragoediae componendae velut incunabula conspici posse, Lessingius²⁾ idem summi poëtae esse laudat et quod ceteri maxime vituperaverunt, artis tragicæ fastigium et cumulum existimat. Utut autem indicamus, hoc ante omnia semper adtendendum est, ut poëtae mentem assequi studeamus neve nostrae aetatis rationibus insertis totam rem confundamus et depravemus.

Neque aliter atque in tragoedia res se habet in comoedia. Aristophanes enim cum in universum saepe Euripidis artem vituperans tum praecipue quomodo ille prologos fecerit³⁾ faceta illa Praxagoræ oratione illudens, quae ad Euripidei generis similitudinem redacta in initio Ecclesiazusarum posita est, in suis fabulis componendis omni ex parte Aeschylum et Sophoclem secutus eas ab agentium diverbio initium capientes fecit. Mediae autem quae vocatur et recentioris comoediae poëtae, quos fere omnes Euripidis in arte scaenica quasi divinitatem

¹⁾ Cf. Josephus Klinkenberg de prologorum Euripideorum arte et interpolatione diss. Bonnae 1880. Eum refutare studuit Joannes de Arnim de prologorum Euripideorum arte et interpolatione. diss. Greifswald 1882.

²⁾ Hamburgische Dramaturgie. Stueck 48. 49.

³⁾ Cf. etiam Aristoph. Acharn. vss. 47 sqq.

admiratos esse pioque animo coluisse veteres scriptores testes sunt¹⁾, etiam in eo illum imitati sunt, quod saepe, quantum e paucis quae huc spectant fragmentis²⁾ perspicere licet, peculiari oratione ipsi fabulae praemissa audientes de argumento certiores fecerunt. Semper autem et in tragoedia et in comoedia prologi ipsius fabulae partes fuerunt, cum poëtae ad illos pronuntiandos seligerent aut personas quae eadem agentes in scaenam prodibant, aut deos omnia scientes, quos quodammodo cum rebus quae agebantur connectebant. Romani demum poëtae eo progressi sunt, ut argumenti enarrationem a cetera fabula plane segregatam histrioni cuidam ad id ipsum destinato peculiarique ornatu induto tribuerent, cui idem *prologi* nomen erat atque enarrationi. Prorsus autem aliam speciem praebent neque cum eo quod modo tractavimus genere omnino comparari possunt prologi Terentiani, qui aut nullam aut minimam partem ad fabulae agenda res pertinere solent, sed quibus poëta suas res et inimicitias malevolorum populi iudicio et arbitrio commendat.

Quibus expositis perspicitur non sine consilio atque ratione prologos Plautinos, qui a persona dramatis vel ab deo quodam pronuntiantur, segregari solere ab eis, quos histrio ad id ipsum proprie destinatus ornatu prologi indutus recitat. Cum enim dubitari non possit, quin e numero prologorum quos nunc habemus complures post mortem demum Plauti effecti sint, quod aut ipsius histrionis claris verbis exprimitur (ut in Casina) aut theatri graduum commemoratione evincitur (ut in Captivis) aut denique eo demonstratur, quod complurium auctorum diversae et inter sese repugnantes partes in unam ora-

¹⁾ Quintil. X. 1. 69: *Euripidem admiratus maxime est, ut saepe testatur, et secutus Menander.* — Vita Euripidis: οἴτιο δὲ αἰῶν Φιλίμων ἰγάλησαν, ὡς τοιῶσαι περὶ αἰῶν τοιοῦτον εἰπεῖν

εἰ τίς ἀληθείαν οἱ τεθνηκότις
ἀσθεῖαν εἶχον, ἄνθρωπος ὡς ἡσάν τις,
ἀσπυζέμεν ἂν ὄσα ἰδέειν Ἑβραϊσθην.

²⁾ Cf. Dziatzko, Ueber die plautinischen Prologe. Allgemeine Gesichtspunkte. Luzern 1867.

tionem conglutinatae sunt (ut in Menaechmis), si vera poëtae vestigia deprendere volumus, sane magis id fieri poterit in eo prologorum genere, quo etiam Graeci poëtae uti solebant, quam in altero, quod proprium Romanorum fuisse vidimus. Pronuntiantur autem prologi Amphitruonis ab Mercurio, Aululariae a Lare familiari, Cistellariae a deo Auxilio, Militis Gloriosi a Palaestrione servo, Mercatoris ab amatore Charino, Rudentis ab Arcturo, Trinummi a Luxuria et Inopia inter se colloquantibus. Hi igitur omnes, si externam modo respicimus formam, prorsus e more Euripidis conformati sunt.

De quibus prologis iudicium facere difficillimum est, quia nullum in eis exstat certum iudicium ex eorum genere quae modo commemoravi.

Critici autem Plautini ad unum omnes¹⁾ vel in unum vel in alterum prologorum genus inquirentes ita semper rem instituerunt, ut quam accuratissima investigatione erudere studerent, quaenam partes ab ipso Plauto profectae sint, quae ab recentiore poëta, sive ab histrione quodam ad actionem repetitam adiecta haec esse statuerunt sive a docto quodam grammatico ad legentium animum informandum. Et illi quidem ut suspicionis notam inurerent, tribus praecipue causis commoti sunt, quae aut pertinent ad singulas voces et verborum coniunctiones quibus prologi auctor usus est, aut ad ipsam rem sententiarumque continuationes aut denique sumptae sunt ex aethetico quod vocatur iudicio. Ratiocinationes au-

¹⁾ Cf. Fr. Ritschl, parerga Plautina I. p. 180 sqq.

Fr. Osann, analectorum criticorum scaenicae Romanae poësis reliquias illustrantium specimen. Berolini 1816.

G. A. B. Wolff, de prologis Plautinis. progr. schol. Guben 1812.

Liebig, de prologis Terent. et Plaut. progr. schol. Goerlittii 1859.

C. Dziatzko, de prologis Terent. et Plaut. quaestiones selectae. diss. Bonnæ 1864.

H. Weise, Die Comoedien des Plautus, kritisch beleuchtet. Quedlinburg. 1866.

Dziatzko, M. Rh. XXIV. p. 570. XXVI. p. 421. XXVIII. p. 63. XXVIII. p. 51.

tem virorum doctorum si quis perlustraverit, longe infirmissimam esse videbit eam causam, quam primo loco nominavimus. Cum enim iam singulae res eiusmodi esse soleant, ut nihil inde ad prologi originem iure colligi possit, — quid enim juvatur, si edocemur hoc et hoc verbum alio loco apud Plautum non occurrere? — accedit mira saepe argumentandi ratio. Nam interpretes quia non animo non praeoccupato ad rem aggrediuntur, sed antea iam sibi persuaserunt aut totam orationem aut maiores partes interpolatori deberi, ut res se habet, ad id quod sibi proposuerunt demonstrandum omnem quaecunque datur facultatem arripiunt. Si igitur in vocem incedunt quae solo hoc loco in fabulis Plautinis legitur, quamquam fortasse similes eiusdem generis formae non raro occurrunt, statim nihil clarius esse exclamant quam hanc partem a Plauti dicendi genere plane abhorrentem a retractatore confictam esse. Altera autem ex parte si nonnulla prologorum verba aut locutiones eaedem vel simillimae in ipsis fabulis exstant, hoc argumento locupletati sibi sumunt interpolatorem Plauti scrinia compilavisse, ut vilia sua opuscula panis Plautinis exornaret. Huius ratiocinationis exemplorum quamquam sine opera numerus innumerabilis congeri potest, tamen unum modo, ut hoc genus illustrem, afferam. In Mercatoris prologo Charinus adulescens ubi enarrat quibus verbis et conviciis pater in se inveli solitus sit, vss. 61—64¹⁾ haec:

Sese, extemplo ex ephēbis postquam excesserit,

Non ut ego amorī neque desidiā in otio

Operam dedisse, neque potestatem sibi

Fuisse; adeo arte cohibitum esse se a patre.

Huic prorsus gemella res in Hautontimorumeni initio a sene Menedemo enarratur, qui gravibus accusationibus suis filium eo compulsi, ut in Asiam ad regem militatum abiret, neque igitur mirandum est similibus eum verbis uti. vs. 110:

¹⁾ Huius prologi semper utor numeris editionis Ussingianae. Ritachelius enim et Goetzius tanta libidine traditum versuum ordinem mutaverunt, ut quid rectum sit omnino perspicere non possit.

*Ego istuc aetatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem.*

Neque minus apte cum condicione Charini quadam ex parte conferri possunt quae Andria inennte Simo senex Sosio liberto de filio suo exponit initium capiens inde ab his versibus (51):

Nam is postquam excessit ex ephelis . . .

Quamquam autem haec locutio in fabulis Graecis sine dubio tritissima etiam alicubi exstat (cf. Bacch. vs. 148: iam excessit mi aetas ex magisterio tuo) tamen — incredibile fere dictu — non defuerunt qui serio contenderent versus illos Plautinos nihil esse nisi centonem ex duobus locis Terentianis consutum.

Satis haec dicta sint de ea criticorum argumentatione quae in dicendi genere versatur. Ceteris autem in rebus quae ad ipsas prologorum sententias et compositionem pertinent, multis multorum quaestionibus per longam annorum seriem continuatis haud pauca bene observata esse, complura rectius quam antea intellecta, difficultates saepius detectas, quae veterum interpretum sagacitatem fugerant, apparet et praecipue ex Dziatzkonis accuratis disputationibus, quas de singulis prologis difficillimis ea qua solet diligentia et circumspectione hic vir doctus iniit, multa sane bona et utilia discere possunt qui huic materiae operam navant. Quodsi nihilo secius non raro iudicium a vero aberravit et ex recte perspectis saepe falsa collecta sunt, summa huius erroris causa in eo posita esse mihi videtur, quod non iustam viam et rationem critici secuti sunt. Neque enim illi, ut fas est, ex ipsis traditis prologis qua ratione prologos poëta composuerit cognoscere studuerunt, sed ea quae hodie nobis insita et usitata est artis scaenicae cognitione ad singulos prologos aggressi eisdem regulis et legibus quibus hodie fabulas componere solemus etiam Plautum usum esse sibi sumpserunt¹⁾, ita ut omnia quae a nostrae ae-

¹⁾ H. Weise. Die Comoedien des Plautus p. 22: *Die wahre Poësie bleibt immer für die Kritik eine unbekante Grösse. Plautus aber war ein wahrer Poët und folglich muss er auch nach den Gesetzen der wahren (?) Kunst und nach keinen anderen beurtheilt werden.*

tatis cogitatione abhorrent, aut si fieri potuit ex toto desecare conarentur aut saltem in suspicionem interpolationis vocare. Nos autem cum iam supra rem ita comparatam esse indicaverimus, ut argumentis alicunde ductis neque in unam neque in alteram partem quicquam diiudicari possit, quaestionem more modo commemorato institutam nullo iacto fundamento prorsus in aëre pendere iudicamus et viam qua sola aliquid certi statuere liceat eam existimamus, ut omnibus ceteris omissis accurata traditorum prologorum consideratione et diligenti circumspectione mentem poëtae assequi studeamus. In eis igitur quae insequenti oratione de septem prologis antea enumeratis disserere nobis proposuimus, utrum ipse Plautus an posterioris aetatis poëta singularum partium auctor sit inquirere supersedebimus, nisi tamen passim hanc quaestionem brevi attingere cogemur, ut quaedam a viris doctis mera libidine statuta refutemus, quibus certum iudicium facere posse nonnulli sibi visi sunt et quae fortasse in medio relicta quaestioni nostrae obici possunt, sed potius intimam traditorum prologorum indolem ac naturam quam accuratissime investigare atque detegere conabimur.

Respicens autem duo quae antea distinximus prologorum Plantinorum genera fortasse quispiam quaerat, cur graeca illa, ut ita dicam, forma poëta Romanus omnino usus sit. Invento enim et in consuetudinem recepto altero genere, quo argumenti enarrandi partes histrioni cuidam mandantur, mirum sane videri potest, quod poëta non semper in omnibus fabulis suis hanc rationem commodissimam adhibuit, per quam omnia quae proferre utile erat sive ad ipsam fabulam sive ad spectatores sive ad poëtam sive ad res didascalicas pertinentia una et continua oratione exponere licebat, sed quod nonnumquam certa quadam persona ad argumentum pronuntiandum selecta arcis legum scaenicarum vinculis coërceri maluit, quoniam verba prologi ad huius personae condicionem accommodare cogebatur. Ita quaerenti plerique sine dubio critici respondebunt verisimillimum esse horum prologorum eandem rationem

atque formam iam in fabulis graecis fuisse neque aliud quicquam praestitisse poëtam Romanum nisi verba graeca vernacula lingua reddidisse. Quod quamquam fortasse in universon recte dictum est, tamen non satis caveri potest, ne, quod nonnulli fecerunt,¹⁾ plus aequo huic iudicio tribuamus neve tali opinione quasi certo fundamento nitamur. Nullius autem momenti esse potest quod recte observatum est²⁾ in omnibus his argumentorum enarrationibus nullum inveniri locum, quo res Romanas poëta tangat. Quid enim nisi fortuita causa poëtam barbarum cum graecae fabulae argumentum enarret, etiamsi ipse orationem componit, commovere potest, ut graecis rebus graecae fabulae res barbaras immisceat, aut quid ex rerum Romanarum significationibus iure colligitur apud poëtam, quem in vertendo saepissime suae aetatis et nationis res gestas et mores interposuisse notissimum est?

Quibus persensis si quis non vanas umbras et imagines captare, sed ipsum verum exentere studet, ingenue fatebitur nos nihil scire quos prologos vel quas partes poëta ipse composuerit, quas verterit, et omnia quaecumque disserenda sunt ita instituet, ut valeant sive Graecis sive Romanis poëta auctor et inventor est. Ut igitur quaestio supra proposita recte solvatur, multo utilius quam in inani originis investigatione operam et sagacitatem perdere id agendum esse mihi videtur, ut probe et penitus perspicatur, quanam ratio inter duo prologorum genera intersit. Alteram autem formam, qua allegoricae quae vocantur vel ipsius fabulae personae ad prologum pronuntiandum in scaenam prodeunt, eo consilio elegisse poëtam credo, ne argumenti expositio quasi peculiaris pars a cetera actione dissolvatur, sed cum eis quae insequuntur in

¹⁾ cf. Lorenz Mil. Glor. praef. p. 50: *Wir glauben demnach jene sechs eben genannten Prologe und Prologstellen in ihrer Erfindung und Composition für griechisches Eigentum halten zu dürfen.*

²⁾ Hanc Lorenzii observationem rectam esse non negaverim. Quod enim Dziatzko M. Rh. XXIV, p. 576 contradixit non satis firmum certumque est.

unum conflatur et coalescat.¹⁾ Quod recte dictum esse cum nos edocere potest personarum quae prologi munere fungantur inventio tum propria nonnumquam enarrationis dispositio, quam nullam aliam ob causam a poëta factam esse putamus nisi ut argumenti explicatio cum actione scaenica arctius connectatur et huius ipsius pars esse videatur. His de rebus, quae non parvas saepe viris doctis dubitationes attulerunt, quoniam postea accuratius exponendum erit, nunc unum ad sententiam nostram stabiliendam exemplum AULULARIAE prologum tractabimus, quem quamquam non defuerunt qui aut totum aut nonnullos versus spurios censerent,²⁾ tamen plerique integrum reliquerunt.

Omnia autem, quae in hoc prologo proferuntur, ad actionem scaenicam intellegendam minime necessaria sunt, cum ea quae de Euclionis proavis exponuntur nullius omnino ad ipsam fabulam momenti sint, ea autem, quae enarrantur de thensauro reperto et de Lyconidis et Phaedrae amoribus, ex agentium personarum sermonibus satis clare a spectatoribus intellegi possint. Nostrae igitur aetatis poëta sine dubio totam illam orationem omisisset et initium statim cepisset a primi actus scaena prima. Sed prorsus e veterum more est non per multum temporis audientium animos suspensos tenere, sed iam initio fabulae eos de gravioribus rebus certiores facere. Hoc ad officium praestandum histrionem quandam adulescentem

¹⁾ Haec res, quae fortasse simplicissima videtur, ut vix verbo digna sit, quantum video a viris doctis omnino non recte intellecta est. Perversissime Dziatzko M. Rh. XXVI, p. 434 adn. 2 sic iudicavit: *Der Inhalt ihrer (sc. der Prologe) Erzählungen war nur vorbereitend, also untergeordneten Wertes im Verhältnisse zum Stücke selbst. Wären Hauptpersonen dazu verwendet worden, so wäre der Unterschied zwischen der Erzählung des Prologs und der Handlung des Stückes, welcher sich schrittweise immer mehr ausgebildete, wieder verweicht und die Illusion der Zuschauer, denen man eine nüchterne Erzählung geboten hätte, wo sie Handlung erwarteten, auf eine noch stärkere Probe gesetzt worden. Natürlich konnten besondere Umstände(?) wie im Mercator eine Ausnahme wohl rechtfertigen.*

²⁾ cf. Lorenz Philol. XXX p. 586 adn. 4, qui versus 11 et 12 damnavit. P. Langen, Plautinische Studien vss. 34—36 seclussit.

poëta eligere potuit. Sed quia re ita instituta vastius argumenti enarratio a cetera fabula diducta esset, peculiarem ad prologum pronuntiandum invenit personam, Larem familiarem.¹⁾ Huius dei condicionem quam artissime cum insequenti actione poëta coniungere et connectere studuit ita, ut si prologi respicimus narrationem, omnium rerum quae postea in scaena aguntur Lar familiaris quasi fons et fundamentum esse videatur. Lari enim soli notum est thesaurum ab Euclionis avo clam omnibus medio in foco defossum esse (vs. 6), Lar is est qui facit, ut Euclio hunc thesaurum reperiat (vs. 26) et eo hoc agit consilio, ut eo facilius adulescens Lyconides puellam a se compressam in matrimonium ducere possit (vs. 27. 33). Laris denique voluntate senex de proximo commovetur, ut Euclionis filiam uxorem sibi poscat (vss. 31. 32). Egregie autem fallitur si quis exspectat etiam per singulas actionis partes huius dei numen cognosci posse²⁾, cum potius tota fabula ita composita sit, ut neque usquam Laris nomen commemoretur neque eorum quae aguntur quicquam ex eius voluntate et arbitrio repetatur. Sed prologi munere functus deus ex machina partes suas absolvit, et quae insequuntur omnia ita poëta instituit quasi nunquam dei alicuius mentionem fecisset.

Sed etiam in hoc prologo brevissimo, ut iam significavi, nonnulli versus criticis suspecti fuerunt. Videas autem quae, qua argumentatione illi nitantur. Versus 9—12 sic in libris leguntur:

*Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Numquam indicare id filio voluit suo,
Inopenque optavit potius cum relinquere,
Quam cum thesaurum commonstraret filio.*

¹⁾ Utrum iam in fabula graeca similis deus fuerit, sive Mercurius, ut Franckenius, sive θεός quidam περιφῶτος, ut Wagner voluit, an ipsius Plauti sit dei et orationis inventio nemo non temere agens diiudicare audebit.

²⁾ In Querulo, comoedia ab ignoto quodam auctore fere IV/V. saec. ad Aululariae similitudinem composita Lar familiaris non modo prologum pronuntiat, sed etiam ipsius actionis partes agit et saepius in scaenam prodit. cf. editionem R. Peiperi. Lipsiae in aed. Teubn.

Hos ad versus scripsit Lorenzius: *Einer jener geschwätzigen Uebearbeiter der Prologe, denen wir soviel fades in denselben verdanken, glaube wohl jenes ita avido ingenio fuit recht drastisch auszumalen, wenn er sein Inopenque etc. dazwischen schob, und dachte nicht an die lästigen Wiederholungen.* Atque eadem ratione non modo passim viri docti usi sunt, sed omnibus fere in prologis magnum versuum numerum propter loquacitatem vel ineptas repetitiones secluserunt. Cum igitur singulis locis, ne nugis illis a gravioribus abducamur, de hac re disserere nolim, paucis hic de tota hac quaestione sententiam meam profiteri mihi liceat. Permulta autem non modo in prologis sed etiam ipsis in fabulis Plantinis copiose et uberrime narrata esse, quae nobis sane molesta et vix toleranda videantur, nemo nisi qui lippis oculis est non videt. Inde autem quae viri docti collegerunt saepe falsissima sunt. An credemus eum iusti critici more agere, qui alia damnat quia e sententiarum connexu facile tolli possunt, alia prorsus gemella, quae gravibus moliminibus non adhibitibus non removeri possunt, integra relinquit? Neque id quidem recte instituere interpretes iudico, quod ex his et similibus locis suspiciones depromunt totum prologum esse spurium et a poëta Plauto multo deteriore confictum. Ex illa enim loquacitate saepissime poëtae opprobrio data, quae in eis maxime posita est verbis, quibus singulae personae quarum res enarrantur quam accuratissima et copiosissima significatione describuntur, nihil aliud discere possumus nisi poëtam qui prologum composuit, auditores non satis in rebus scaenicis versatos existimavisse, quam ut res panno intricatiores intellexerent neque diversas partes inter se confunderent¹⁾.

Cum vero omnium quas antea enumeravi fabularum prologi simillimi sint Euripidei generis in ea re, quod continuatae ipsi actioni orationis praemittendae maxima causa est, ut ar-

¹⁾ De tota hac re ex animi sententia amplector iudicium Niemeyeri, quod ille fecit in recensione Militis Gloriosi editionis Ribbeckianae, Philolog. Wochechrift 1881 No. 12 p. 349—352 No. 13 p. 386—388.

gumentum comoediae cum spectatoribus communicetur, altera ex parte prorsus alieni sunt, quod actores Plautini non ut apud Euripidem fit secum loquuntur, sed ad ipsum populum narrationem faciunt¹⁾. Facultas autem in hunc modum agendi, si rationem argumenti eloquendi ad nostri iudicii normam redigimus, tum modo poëtae data est, si res cum spectatoribus communicandas ab fabulae actione segregatas histrioni ad id solum destinato tribuit. Contra si mavult partes prologi suscipi a persona, quae aut in ipsa actione in scaenam prodit aut quamquam suas partes non habet tamen rerum in comoedia gerendarum aliqua ex parte particeps est, exspectamus poëtam sic eam agentem facturum esse, ut fabulae partes postulant i. e. aut secum aut cum altero quodam colloquentem et talia modo proferentem, quae pro huius personae et fabulae conditione proferri possunt. Quam regulam, quae nobis ut simplex ita necessaria videtur, Plautum minime curasse prologi edocent. Haec res, quam interpretes omnes aut omnino neglexerunt aut argumento esse sibi persuaserunt has prologorum partes spurias esse²⁾, maxime mihi explicatione digna esse videtur. Cum enim videamus nonnullorum prologorum exitus eodem modo a poëta conformatos esse quo in ipsa comoedia scaenae exire solent, mirum sane nobis videbitur, cur veluti extra fabulam ad populum actores loquentes poëta fecerit, cum hanc partem arto vinculo cum cetera fabulae actione connexam esse appareat. Atque quam facile, ut exemplum saltem proponam, in Mercatore, ubi argumentum amoribus Charini continetur, quos hic ipse spectatoribus enarrat, adulescentem amantem statim his fere verbis in scaenam prodeuntem facere potuit: Patria salve, quam ego biennio postquam hinc in Rhodum abivi, conspicio lubens (cf. Bacch. II. 1). Tum ad mercatum pater me

¹⁾ In Trinummio dialogus Luxuriae et Inopiae tribus modo continetur versibus, inde a quarto Luxuria sola prologi munere fungitur spectatores alloquens.

²⁾ Lorenzianus ad initium prologi Mil. Glor. adnotat: *Fast alle wahren Prologe enthalten ähnliche Apostrophen an das Publikum.*

misit meus, quia ut aetas ex ephebis exiit atque animus studio amotus puerilist meus, amare valide coepi hinc meretricem e. q. s. inde a vs. 42 huius prologi.¹⁾

Consuetudo autem argumenti a comoediae personis ad spectatores dandi non demum a Plauto vel a scriptoribus novae quae dicitur comoediae inventa est, sed exempla huius generis plane gemella iam apud Aristophanem videmus²⁾. Equites enim initium capiunt e diverbio duorum servorum, qui malam quam nunc habent condicionem querentes viam aliquam excoGITARE student, qua labores et verbera effugiant. Compluribus iam propositis, propter incommodatam autem rejectis *ΟΙΚΕΤΗΣ Α.* subito haec:

ἀλλ' ἐτέρω πῆ σκεπτέον.
βούλει τὸ πρῶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

οὐ χεῖρον· ἐν δ' ἀποδὸς παρατηρήμεθα.
ἐπὶ δὲ γλῶσσαν ἡμῶν τοῖς προσώποισιν ποιεῖν.
ἦν τοῖς ἔπεισι χαίρωσι καὶ τοῖς πρῶγμασιν.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

λέγοιμ' ἂν ἴδῃ.

et in eis quae insequuntur longiore enarratione argumentum spectatoribus explicat. Quo perfecto statim rursus sodalem suum vss. 71. 72 his alloquitur verbis:

νῦν ὅν ἀνέσαντε φροντίσωμεν ἀγαθὴ
πολίαν ὁδὸν νόο τραπεπέον καὶ πρὸς τένα.

ita ut inde ab his versibus diverbium antea mirum illum in modum interruptum continetur quasi nihil esset interpositum.

Simillima res est in Aristophanis Vespis, ubi Xanthias

¹⁾ Conferri potest Trucul. I. 1.

²⁾ Non recte παραβάσεις Aristophaneae afferri solent, quae cum solutae sint a fabulae actione cum prologis Terentianis rectius comparari possunt.

antea cum Sosia conseruo colloctus subito nullo facto trans-
itu sic ad argumentum enarrandum aggreditur vs. 54 sqq.:

φέρε νυν κατέλω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,
ἀλλ' ἄθ' ὑπειπὼν πρότερον αὐτοῖσιν ταῦτ',
μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
ἡμῶν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδου
δοῦλον διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις.
οὔθ' Ἡράκλῆς τὸ δεῖκνον ἐξυπατώμενος,
οὔθ' ἀθῆς ἐνασελγανόμενος Εὐριπίδης·
οὔθ' εἰ Κλέων γ' ἐλαμφε τῆς τήχης χάριν.
ἀθῆς τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτέσομεν.
ἀλλ' ἔστιν ἡμῶν e. q. s.

Conferri etiam possunt Pacis vss. 50 sqq.:

OIKETHΣ B.

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
καὶ τοῖσιν ἀνδράσοι καὶ τοῖς ἀνδράσιν
καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω
καὶ τοῖς ὑπερηγορούσοισιν ἔτι τοῖσιν μάλα.
ὁ δεσπότης μου μαίνεται e. q. s.

et Avium vss. 30 sqq.:

ἡμεῖς γάρ, ἄνδρες οἱ παρόντες ἐν λόγῳ,
νόσον νοσοῦμεν e. q. s.

Neque in Plautinis fabulis desunt quae his locis Aristophaneis simillima sunt. cf. Poen. III. 1. 44 sqq. (547 sqq.):

AGORASTOCLES.

Scitis — rem narravi vobis — quor vostra opera mi opus siet,
De lenone hoc qui me amantem ludificatur tam diu
Ei paratae ut sint insidiae de auro et de servo meo.

ADVOCATI.

Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant. 550
Horunc hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula:

Hos te satius est docere ut, quando ages, quid agas sciant.
Nos tu ne curassis: scimus rem omnem, quippe omnes simul
Didicimus tecum una, ut respondere possimus tibi.

AGORASTOCLES.

Ita profectost. sed agite igitur, ut sciam vos scire rem, 555
Expedite mihi, quae vobis dudum dixi, dicite.

ADVOCATI.

Itane temptas an sciamus? non meminisse nos ratu's,
Quomodo trecentos Philippos Collabisco vilico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuom?
Isque ut se adsimulet peregrinum esse aliunde ex alio oppido? 560
Ubi is detulerit, tu eo servum quaesitum advenies tuom
Cum pecunia.

AGORASTOCLES.

Meministis memoriter: servastis me.

ADVOCATI.

Ille negabit: Milphionem quaeri censebit tuom.
Id duplicabit homini furtum: leno addicetur tibi.
Ad eam rem nos esse testis vis tibi. 565

AGORASTOCLES.

Tenetis rem.

Non temere ego totum hunc locum exscripsi, cum ex eo
discere possint, qui veterum scribendi componendique artem
eandem fuisse praedicant atque nostris temporibus. Artificio
enim quodam, quo etiam nos uti solemus, res ita hic instituta
est, ut res cum spectatoribus communicandae non ad hos ipsos
dentur, sed ab una colloquentium personarum alteri enarrantur.
Altera autem ex parte quod tamen spectatores commemorantur
et eorum causa fabula agi dicitur et quod scurrilibus illis fa-
cetiis advocati propterea se omnia iam scire contendunt, quia
ad respondendum una didicerunt, haec omnia talia sunt, quae
nostris in fabulis nusquam leguntur nisi in vilissimo genere,

quod artis nomine vix dignum est. Sed quia in ipsa fabula haec leguntur, aliquid miri in eis esse vix quisquam uno verbo monet, cum quae similis generis in prologis scripta sunt, suspecta esse et spuria clament et statim igne ferroque sanare studeant.

Quomodo autem factum sit, ut talia quae in tragoedia neque umquam posita sunt neque omnino poni potuerant, a poetis comicis non ita raro adhibita sint, satis luculente mihi demonstrari posse videtur. Genus enim quoddam audientibus risum movendi in eo positum est, quod actor partibus quas agit subito quasi depositis ad rerum veritatem quae nunc est transilit. Sic in Aristophanis Pace Trygaeus, qui in scarabaeo veluti in equo sedens ad caelitem domos advolat, machinarum videlicet scaenicarum opera, inter alia, quae ad iter suum pertinent, praeter spem haec (vss. 173, 174):

οἴμ' ὡς δέδοικα, κοῦκέτι σκώπτων λέγω.
ὦ μηχανοποιε πρόσεχε τὸν νοῦν ὡς ἐμέ.

Neque multo ab hoc exemplo aliena sunt ea, quibus in eadem fabula idem Trygaeus non fas esse ovem in scaena a se macrari contendit, vss. 1017 sqq.:

OIKETHS.

λαβὲ τὴν μάχαιραν· εἶθ' ἄπως μαγειρικῶς
σφάζεις τὸν οἶν.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

ἀλλ' οὐ θέμις.

OIKETHS.

τί τί δή;

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

οὐχ ἤδεσαι δῆπουθεν Εἰρήνη σφαγαῖς,
οὐδ' αἵματόυται βωμός. ἀλλ' εἴσω φέρων
θύσας τὰ μηρῖ' ἐξελὼν δεῦρ' ἔκφερε.
χοῦτω τὸ πρόβατον τῷ χορηγῷ σάξεται.

Conferrī etiam possunt Acharn. 408 sqq.:

ΔΙΚΑΙΟΘΟΛΙΣ.

ἀλλ' ἐκκοκλήθητ'.

ΕΥΡΠΗΙΔΗΣ.

ἀλλ' ἀδύνατον.

ΔΙΚΑΙΟΘΟΛΙΣ.

ἀλλ' ὄμως.

ΕΥΡΠΗΙΔΗΣ.

ἀλλ' ἐκκοκλήσομαι· καταβαίνειν δ' οὐ σχολή.

et Avium vss. 444 sqq.:

ΠΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

κατόμοσόν νυν ταῦτά μοι.

ΧΟΡΟΣ.

ἄννημ' ἐπὶ τούτοις, πᾶσι νικᾶν τοῖς κριταῖς
καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν.

ΠΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ἔσται τανταγῶ.

ΧΟΡΟΣ.

εἰ δὲ παραβαίην, ἐνὶ κριτῇ νικᾶν μόνον.

Ex Plauto haec quidem afferam exempla. In Trinummi vs. 990. sycophanta domini gregis personam quasi induens ad consuetudinem qua histriones si quid in actione deliquerant, vapulabant:

*Enim vero, sero quoniam advenis,
Vapulabis arbitrato meo et novorum aedilium.*
Alterum exemplum est Cistellariae exitus:

CATERVA.

*Ne expectetis, spectatores, dum illi huc ad vos exeant;
Nemo exibit; omnes intus conficiunt negotium.*
*Ubi id erit factum, ornamenta ponent; postidea loci
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.*

*Nunc quod ad vos, spectatores, relicuum relinquitur,
More maiorum date plausum postrema in comoedia.*

Huius facietiarum generis altera quaedam species est, qua actor spectatores eis rebus, quae a poeta depinguntur et in fabula aguntur, veluti participes immiscet. Ut enim unusquisque risus eo movetur, quod res inter sese quam maxime contrariae sensibus percipiendae dantur, ita semper spectato-ribus ridiculum videbitur, si hoc modo vera cum fictis, au- dientibus cum agentibus commutantur et permiscentur. Quod artificium, quo sine dubio iam antiquissimi qui comoedias com- posuerunt poetae usi sunt, tam late patet, ut multa facile colligi possint exempla, e quibus pauca modo ad illustrandum affero Aristophanea et Plautina. In Aristophanis Pace Try- gaeus et Mercurius inter se colloquentes, quae mutationes factae sint pace restituta sic describunt vss. 538 sqq :

ΕΡΜΗΣ.

ἔθι νῦν ἄθρει
οἶον πρὸς ἀλλήλας λαλοῦσιν αἱ πόλεις
διαλλαγεῖσθαι καὶ γελῶσιν ἄσμεναι,
καὶ ταῦτα διαιμονίως ἠπρωτισμέναι
ἀπαξάπασαι καὶ κηάθους προσκεῖμεναι.
καὶ τῶνδε τοίνυν τῶν θεωμένων σκόπει
τὰ πρόσωφ', ἵνα γνῶς τὰς τέχνας.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

αἰβοῖ τάλιας,
ἔχεινονὲ γοῦν τὸν λοφοποιὸν οὐχ ὄρῳς
τῆλλονθ' ἐαυτόν; ὁ δὲ γὰρ τὰς σμενάς ποιῶν
κατέπαρδεν ἄρτι τοῦ ξιφουργοῦ κεινοῦ.
ὁ δὲ ὄρεπανουργὸς οὐχ ὄρῳς ὡς ἕδεται,
καὶ τὸν δοροζὸν οἶον ἐσκιμάσειν;

In Ranis inde a vs. 274. haec legimus:

ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

κατείδες οὖν ποῦ τοῦς πατραλοῖας ἀντόθι
καὶ τοῦς ἐπιόρκους, οὗς ἔλεγεν ἡμῖν;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

σὺ δ' οὐ;

ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

νῆ τὸν Ποσειδῶ ἴγωγε καὶ νῦν! γ' ὄρω.

haec verba Bacchum proferre gestu quodam spectatores signi- ficantem apparet.

In Plauti Aululariae act. IV. scaena nona inennte Euclio, senex avarus, cui Strobilus aulam auri plenam furatus est, desperatus et furibundus in scaenam procurrit furem investi- gaturus. Conturbato autem animo cum nesciat unde quicquam de aula ecfossa comperire possit, vs. 715 sqq. sic alloquitur spectatores:

obsecro vos ego, mi auxilio,

*Oro, obtestor sitis et hominem demonstretis quis eam abstulerit.
Quid est? quid ridetis? novi omnes, scio fures esse hic complures,
Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certumst, nam esse bonum ex voltu
cognosco.*

*Em, nemo habet horum? occidisti, dic igitur, quis habet? nescis?
Heu me miserum e. q. s.*

Atque orationem modo commemoratae prorsus gemellam habemus in Cistellariae actus quarti scaena altera, ubi Halisca ancilla res suas adversas conqueritur, quae cistellam, in qua crepundia Selenii inerant, socordia sua amisit, vss. 511 sqq:

*Mi homines, mi spectatores, facite indicium, si quis vidit,
Quis eam abstulerit quisve sustulerit, et utrum hac an illac iter
institerit.*

*Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.*

Conferri etiam possunt Menaechm. vs. 880 sqq. Mil. Glor. vs. 861. Mostellaria vs. 708.

Totam autem hanc iocandi rationem arte minime insignem esse, sed quae etiam a malo poeta hebescente ingenii acumine

facile adhiberi possit, scurrili potius et rudiori compositioni tribuendam esse facile perspicitur, quamquam risus movendi vim in ea inesse negari non potest. Terentius igitur, poëta elegans et artis poëticae regulas magis curans quam vilem spectatorum plausum, omnibus in fabulis suis hoc artificium omnino sprexit et reiecit, quod iam veteres grammatici ei laudi verterunt. Euanthius enim in commento *de comoedia* (Zeune p. XXIX), ubi singulas musae Terentianae virtutes enumerat, quibus ceteros poëtas comicos insignes superaverit ille, inter alia commemorat etiam hoc: *Et item (sc. mirabile est) quod nihil ad populum facit actorem velut extra comoediam* (Schopen; mss. *ex tragoedia*) *loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est.*

Sed etiam aliis locis occasione data spectatores compellantur, quamquam quicquam facetiarum in ipsa allocutione non inest. Sic in Bacch. actus IV scaena 9 exeunte Chrysalus servus laetitia et superbia efflatus, quod omnia conata prospere cesserunt, haec:

*Salute nostra atque urbe capta per dobum
Domum reduco integrum omnem exercitum.
Sed, spectatores, vos nunc ne miremini
Quod non triumpho: pervolgatumst, nil moror.*

In Truculenti act. II scaena 6 ineunte Stratophanes:

*Ne exspectetis, spectatores, meas dum pugnas praedicem,
Manibus duella praedicare soleo ego, haud sermonibus.*

Cum igitur consuetudinem in ipsa comoedia spectatores alloquendi latissime patere videamus, nihil est cur miremur etiam argumenta, etiamsi a fabulae personis exponuntur, non artificio quodam a poëtis comicis actioni inseri, sed ipsis audientibus pronuntiari. Semper autem tenendum est, quod non satis accurate adtenderunt viri docti, hoc fieri praeter severas artis scaenicae leges, quibus postulatur, ut ab unaquaque persona et in agendo et in loquendo veritatis et verisimilitudinis species semper servetur. Quem enim accurate legentem non offendent verba Charini in Mercatoris prologo ineunte:

*Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar.*

aut quae in Mil. Glorios. prologo vs. 79. Palaestrio dicit:

*Mihi ad enarrandum hoc argumentumst comitas,
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.*

aut vs. 98:

Date operam: nam nunc argumentum exordiar.

quae verba nostro iudicio histrionem magis decent, qui prologi munere fungitur, quam personam in ipsa fabula partes agentem.

Tamen vero plerique critici hanc rem ne verbo quidem dignam esse censuerunt, cum in aliis, quae ad eandem rationem referenda esse existimo, omnes haeserunt et interpolatoris vestigia deprendere sibi visi sunt.

TRINUMMI enim prologum ut una omnes voce propter breviter et elegantiam laudibus ectulerunt, ita etiam in ea re viri docti consentiunt certos quosdam versus non ipsius Plauti esse sed post eius aetatem ab aliis additos. Priusquam autem de hac re et de totius prologi indole qualis mihi esse videatur accuratius inquirere instituum, pauca praemittenda sunt de regula quadam a Ritschelio constituta¹⁾, ad quam in universum omnes prologos Plautinos dirigere posse ille sibi visus est, et qua etiam hodie nonnullis repugnantibus plerique critici ut rata atque firma niti solent. Ille autem sibi persuasit omnes istos locos, quibus nomen Plauti commemoratum est, iam per se ipsos nulla adhibita sententiarum continuationis disceptatione indicare traditam prologi formam non posse ab Sarsinate poëta originem ducere, sed tribuendam potius actioni recentiore tempore factae. Quam ad sententiam ferendam commotus est loca Plautina, quibus semper vel de *Plauto* ipso vel de *Maccio Tito* vel de *Plautina fabula* verba fiunt, conferens cum more Terentiano, quo ubicumque de se loquitur auctor numquam *Terentium* semper *poëtam* nominat. Fortasse addi potest etiam Aristophanem in eodem genere numquam nomen

¹⁾ Parerga Plautina I. p. 233.

suum posuisse, sed semper voce ποιητοῦ usum esse. Sed omnino nihil valet haec analogiae ratio. Ex omnibus enim his exemplis, etiamsi complura congeri possunt, nihil aliud colligitur nisi quod iam per se patet licuisse poëtis de se loquentibus verbum poëtae ponere. Ei autem qui cum Ritschelio certam legem fuisse contendunt non debere poëtas proprio suo nomine uti, hodierna cogitandi et scribendi ratione atque usu impliciti quasi et constricti esse mihi videntur. Nos enim non modo ridiculum sed prorsus intolerabile esse existimamus si quis scriptor vel poëta sive in lyrico sive epico sive scaenico genere de se verba faciens non generalem quandam notionem eligit, sed suo nomine utitur. Apud veteres autem non eundem sed longe alienum morem fuisse magna exemplorum copia nos edocet, cum fere omnes poëtae clarissimi in carminibus se nominare solerent¹⁾. Cur autem quod licebat elegiacis poëtis et epicis non eodem modo scaenicis licuerit, vix sana causa afferri poterit. Quae cum ita sint eis adstipulandum esse censeo qui abiecta lege Ritscheliana sola ex ipsius loci et sententiarum consideratione contemplationeque iudicium faciendum esse contenderunt²⁾. Videamus igitur ipsum prologum. Presso aulaeo in scaena aspiuntur dnae personae, quas non mortales homines esse sed divinae naturae fortasse iam ex quibusdam vestimenti indicis spectatores cognoscere potuerunt, Luxuria

¹⁾ Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, Horatius saepissime. Vergilius georg. IV. 562.

²⁾ Contra Ritschelii opinionem primus pugnavit C. Dziatzko, quaest. sel. et Ueber die plautin. Prologe. Allg. Gesichtspunkte. p. 2. Quamquam in ipsa re prorsus idem atque ille sentio, tamen id quod summum ei est atque locupletissimum argumentum probare non possum. Nam in Hautontimorumeni prologi vss. 7—9:

*Novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
Et quova Graeca sit, ni partem maxumam
Eristumarem scire vostrum, id dicerem.*

verbis qui scripserit non Latinum, ut ille voluit, sed Graecum auctorem Terentium significasse persuasum habeo. Iniuria quoque me iudice hos versus ex Hautontimorumeni loco, quo traditi sunt et bene ad sententiam quadrant, in Hecyrae prologum priorem Dziatzko transposuit.

et Inopia, et paucis verbis per tres versus sic inter se colloquantur:

LUXURIA.

Sequere hac me, gnata, ut munus fungaris tuom.

INOPIA.

Sequor: sed finem fore quem dicam nescio.

LUXURIA.

Adest: em illaec sunt aedes: i intro nunciam.

Deinde postquam Inopia matris verbis obsecuta in aedes Lesbionici introivit h. e. de scaena decessit, Luxuria sola relicta spectatores alloquitur, ut de nonnullis rebus eos certiores faciat. Atque primum quidem et ipsius et Inopiae nomina spectantibus patefacit et quam ob causam Inopia filia in adulescentis domum missa sit exponit. Quo facto quia in prologis semper argumenti enarratio proferri solebat, in hac fabula rem aliter institutam esse audientes edocet:

Sed de argumento ne exspectetis fabulae:

Senes qui huc venient, i rem vobis aperient.

quibus verbis nonnullas res didascalicas ad nomina fabulae et auctoris pertinentes addit:

Huic Graece nomen est Thensauro fabulae:

Philemo scripsit: Plautus vortit barbare,

Nomen Trinummo fecit. nunc hoc vos rogat,

Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.

Denique versu:

Tantumst. valete: adeste cum silentio

toti orationi finem imponit.

Qua in compositione mirum est et in omnibus quos novimus huius generis prologis et latinis et graecis inauditum, quod initium prologus noster capit e diverbio duarum agentium personarum. Nullis ad hanc rationem angustiis poëta coactus est. Nam eandem prologi dispositionem et easdem personas

allegoricas etiam servare potuit, si Luxuriam iam ab initio narrantem fecisset se ex domo adulescentis prodigi decessisse, sed filiam suam misisse Inopiam. Itaque causam si quaerimus, cur poëta consilium suum inierit, vix alia afferri poterit nisi eum noluisse solam dare narrationem, sed agentibus statim in scaenam personis inductis quasi medias in res rapere spectatores. Quod igitur antea de omnibus quos tractamus prologis in universum significavimus nostro loco confirmari videmus et eo clarius perspicimus, quam perversa sit eorum opinio, qui poëtas in prologis componendis id maxime consuluisse contendunt, ne differentia, quae interesset inter prologi narrationem et ipsius fabulae actionem, exstingeretur. Consilium autem prologi ad formam scaenicam redigendi tantum abest, ut poëta per totam orationem persecutus sit, ut ne ultra prima quidem rei initia transgrediatur. Paucis enim post versibus Luxuria a via subito deflectit et partibus quas antea egit velut depositis omnia insequentia profert quasi esset histrio, qui poëtae nomine et voluntate ante fabulae actionem de nonnullis rebus spectatores certiores facit. Neminem fugere potest duo genera prorsus diversa hic a poëta mirum in modum inter se permixta et conflata esse, quae ratio a nostro more et iudicio alienissima est. Attamen vix quisquam ex hac discrepantia interpolationis vel retractationis vestigia indagabit neque dubitabimus quin haec omnia ab uno poëta uno consilio composita sint.

Iam ad versus 18—21 accuratius tractandos transire possumus, e quibus magna ex parte pendet, quomodo toto de prologo iudicandum sit. His enim in versibus, quibus de fabulae nominibus agit Luxuria, non modo Ritschelio et qui eum sequuntur nomen Plauti offensioni fuit, sed alii etiam ex ipsa re et sententiarum progressu demonstrare conati sunt versus esse spurios et posteriore demum tempore a doctis grammaticis adsutos¹⁾. Quamquam omnes fere critici huic sententiae

¹⁾ Dziatzko quaest. sel. p. 23: *versus 18—21 cum antecedentibus nullo modo cohaerent. neminem enim non vehementer offendet, quod Luxuria ab*

adstipulati sunt, tamen eam recte statutam esse mihi persuadere non possum. Ut enim silentio praetermittam, quam exigua sit probabilitas qua quis grammatico recentioris aetatis hos versus obtrudit, ipsa versuum forma clamare videtur se esse genuinam et ab ipso Plauto profectam. Qua enim ratione verba:

nunc hoc vos rogat,

Ut liceat possidere hanc nomen fabulam

explicari possunt nisi tum, cum primum fabula in scaena agebatur, a Luxuria pronuntiata sunt, aut quae tandem causa quemquam commovere potuit, ut post primam actionem tale aliquid prologo genuino adiceret? Neque magis in sententiarum progressu mihi quicquam inhaerere videtur, quod iustam suspicionis ansam praebet. Etiam si enim concedendum est paullo clarius et accuratius poëtam significare potuisse, quomodo singula inter se enuntiata coniungi voluerit, tamen si minus formam quam sententiam respicimus, omnia plana et aperta sunt. Immo ne forma quidem offendetur neque eo dubitationis progredietur, ut cum Bergkio¹⁾ de lacuna ante vs. 18. statuenda cogitet, si quis in memoriam revocaverit aliorum prologorum locos, quibus simul et nomen fabulae pronuntiatur et argumentum exponitur. In Milite enim Glorioso Palaestrio servus postquam vs. 85. *se et argumentum et nomen elocuturum esse* indicavit, oratione insequenti promissum suum ita persolvit, ut primum duobus versibus nomen fabulae et graecum et latinum brevissime attingat, quibus deinde nullo facto transitu statim enarrationis initium subiungit his verbis²⁾:

eis quae ipsam et Inopiam et argumentum fabulae attinent, sine transitu vs. 18. ad prorsus aliam rem pergit. p. 24: non dubium est quin nostri prologi vs. 18—21 grammaticorum studio debeantur.

¹⁾ Opusc. philol. I. p. 615. Bergkii talia fere intercidisse putat:
*Sed nisi molestumst nomen dare vobis volo
Comoedici quam modo acturi sumus.*

²⁾ Non ignoro post vs. 87. ab Lorenzo et Brixio, novissimis huius fabulae editoribus, complurium versuum iacturam statui. Horum autem

Hoc oppidum Ephesust. inde¹⁾ est miles meus erus e. q. s.

Inde cum iam perspiciatur quam arcto vinculo inter se hae duae res, nominis pronuntiatio et expositio argumenti, coniungi soleant, etiam clarius rem illustrabunt ei loci, quibus quamquam unum modo se elocuturum esse prologi actor indicat, tamen revera utrumque profertur. In Casinae vs. 29. prologus haec:

Aures vacivae si sunt, animum advortite:

Comoediai nomen dare vobis volo.

Insequentibus autem versibus non modo, quod exspectamus, fabulae nomina profert:

Clerumenoe vocatur haec comoedia

Graece, Latine sortientes, Diphilus

Hanc Graece scripsit, postid rursus denuo

Latine Plautus cum latranti nomine.

sed his verbis prorsus eadem ratione quam modo in Milite Glorioso vidimus, argumenti narrationem, de qua antea nihil omnino dixerat, adnectit:

Senex hic maritus habitat: ei est filius e. q. s.

Et simillime quidem, ita ut, cum initio solo de argumento exponendo verba fiant, tamen ipsam expositionem res didascalicae ad fabulae et auctorum nomina pertinentes antecedant, res se habet in Mercatoris prologo vs. 2:

Et argumentum et meos amores eloquar.

et vss. 9, 10:

Graece haec vocatur Emporos Philemonis,

Eadem latine Mercator Macci Titi.

Hos versus et hanc rationem si quis accurate examina-

rationem, quae non iustis in causis sed mera in libidine posita est, probare non possum. cf. quae postea de Mil. Glor. prologo exposui.

¹⁾ Hanc lectionem vulgarem perperam tentatam esse existimo. cod. B: ide.

verit atque cum eo de quo nunc agimus loco contulerit, vix offendet in eo, quod poeta postquam spectatoribus usitati generis prologum exspectantibus de argumenti narratione rem in hac fabula praeter spem et opinionem institutam esse explicuit, insequentia non sollemni quodam, ut critici iusserunt, exordio induxit, sed ad locorum modo laudatorum similitudinem nullo facto transitu sic perrexit:

Huic Graece nomen est Thensauro fabulae e. q. s.

Ad extremum ne id quidem negligendum est, quod exeunte oratione verba *tantum est*, quorum vim et significationem ex locis quales sunt Mercat. vs. 280 et Terent. Eun. vs. 996 cognoscere possumus, vix recte apteque posita esse videntur, si statim subiunguntur illis versibus, quibus praeter audientium expectationem se nihil de argumento prolaturum esse prologi actor dicit.

His omnibus, quibus iam satis demonstravisse mihi videor neque in ipsis verbis addubitatis neque in singularum sententiarum ordine quicquam inesse, quo critici suspiciosi ad vss. 18—21 expungendos vere niti possint, multo etiam maioris momenti illud accedit, quod extinctis his versibus omnino intellegi non potest, cui tandem bono totus prologus a poeta conscriptus sit. Cum enim dubitare non liceat, quin Luxuriae et Inopiae personae fabulae actionis revera plane expertes¹⁾ eadem ratione, quam iam antea in Aululariae prologo depinxi, ab auctore prologi nullam aliam ob causam inventae sint, nisi ut ante ipsius comoediae initium spectatores de quibusdam rebus edocerent, iure quaeremus, quae potissimum res earum quae in prologo enarrantur poetam adduxerit, ut ad eam proferendam certas quasdam personas fingeret. Quid autem ita roganti responderi potest versibus 18—21 deletis? Ea enim

¹⁾ Ne quis male hoc intellegat, quod iam supra significavi, expresse hic repetam. in horum prologorum genere res ita se habet, ut si respicimus prologi narrationem, prologi actor magnas in fabulae actione partes agere videatur, sin spectamus ipsam fabulam eum nullas omnino habere apparet.

quae inde a prologi exordio usque ad vs. 15. a Luxuria enarrantur omnia eiusmodi sunt, ut ex eis discant spectantes et quae sint personae modo in scaenam progressae et quam ob causam processerint. Quo facto nos ea audituros esse expectamus, quorum causa tota deorum ex machina inventio facta est. Et quid sequitur? Luxuria se de argumento nihil prolaturam esse profitetur et spectatores monet, ut valeant et cum silentio adsint! Nonne ridiculum hoc est? An serio quisquam putare potest huius rei causa tanta molimina poëtam instruxisse? Ut igitur brevi sententiam meam aperiam, mihi quidem illi versus, quos insatiabili fere suspicione omnes docti persecuti sunt, totius prologi quasi sanguis et medulla esse videntur. Difficile est dictu cur non ipsum argumentum in prologo narratum sit. Verisimile existimo poëtam latinum iam in comoedia graeca rem ita institutam invenisse, ut senes duo qui initio fabulae in scaenam prodeunt, argumenti proferendi munere fungerentur, et hanc rationem turbare noluisse. Re ita disposita fortasse prologus omnino omitti potuit. Sed quia res nonnullas didascalicas cum spectatoribus communicare voluit poëta prologum scripsit, et ut eum ad rei scaenicae formam accommodaret, allegoricas Luxuriae et Inopiae personas invenit.

Quae cum ita sint mirum fortasse videri potest, quod editores ad unum omnes versus laudatos damnaverunt¹⁾. Hoc eos minus fecisse crediderim imbecillimis quas antea commemoravi nonnullorum ratioeinationibus fretos, quam quia totum prologum perlegentes aperte persentiscere sibi videbantur in illis versibus nescio quid offensionis inesse, quo impediamur, quin eos ab eodem poëta atque cetera profectos esse nobis persuadeamus. Ac profecto aliquid miri et duri inhaerere et ipse sentio et fortasse unusquisque qui accurate perlegerit prologum, sentiet. Quid autem hoc sit a nemine hucusque quantum scio claris verbis dictum est. Me quidem iudice haec in

¹⁾ Ne Ussingius quidem, qui versus uncis non seclusit, quicquam ad eos defendendos proferre potuit. Recte iudicavit unus Niemeyerus, qui nuperrime Brixii editionem fabulae nostrae quartam curavit.

eó posita est offensio, quod versus res didascalicas continentes a Luxuria pronuntiantur, in quam talia proferre minime cadit. Poëta enim, ut iam antea vidimus, Luxuriam et Inopiam actionis comoediae quodammodo participes fecit ita, ut non videantur personae ad solum prologum proferendum effictae sed personae ipsius fabulae. Inauditum autem et prorsus contra summas rei scaenicae leges factum nobis videtur, quod dramatis personae extra actionis quasi fines egressae de alienis quae ad praesentiam, ad poëtam, ad fabulae nomen pertinent rebus verba faciunt. Et re vera nulla nisi in hac re legenti haerendum esse clare perspicitur, si prologi verba non ab Luxuria sed ab histrione quodam pronuntiarum animo nobis conformamus. Statim enim omnis evanescit difficultas et ab initio usque ad finem proclivi currit oratio.

Alia autem est quaestio, num idem quod nos de hac re etiam veteres senserint, et num incredibile sit talia quae nobis magno in vitio esse videntur unum eundemque poëtam veterem, fortasse Plautum ipsum, componere potuisse. Quoniam igitur non eorum possum amplecti sententiam, qui unam omnibus temporibus omnibusque poëtis esse artem praedicant et ad huius verae artis leges omnia verorum poëtarum opera esse iudicanda, unam ut recta statuamus rationem eam ineundam esse existimo, ut nos imbuamus atque insinuemus in scriptoris ingenium et consuetudinem et circumspiciamus, num quod semel accidit pluribus possit stabiliri et confirmari exemplis. Prorsus autem eodem spectat alia prologi nostri pars, in qua sane nemo criticorum quicquam duritiae aut difficultatis inesse sensit. Quodsi enim vss. 8. et 9. Luxuria nomen suum et filiae spectatoribus profitetur his verbis:

Primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit:

Tum hanc autem mihi gnatam esse voluit Inopiam.

poëtae commemoratione eodem in genere atque supra vidimus contra nostras rei scaenicae leges peccatum esse elucet¹⁾.

¹⁾ Quomodo nostro more agendum sit, ex his Goethii verbis colligere possis. Faust II. Teil:

Toto igitur in prologo duo diversa genera inter se conflata esse videmus, cum orationi poëta illi quidem scaenicae formae speciem imposuerit, in singulis autem Luxuriam non ut fabulae personam decet loquentem fecerit, sed ut accommodatum est histrioni prologi habitu induto. Attamen de hac re, quamvis mira nobis videatur, aliquid detrahere velle eo minus licebit, quia etiamsi unus resecando eximitur locus, tamen alter restat, quem nulla criticorum artificia e medio tollere poterunt. Neque singulare hoc esse in Sarsinatis poëtae arte vel inauditum cum alii loci nos edocebunt tum Mercatoris quo iam nos convertimus prologus, in quo de versibus quibusdam modo tractatis simillimis uberius exponendum erit.

MERCATORIS comoediae prologum pronuntiat Charinus adulescens, qui ipse quoque primas in fabula agit partes. Quippe quoniam ad eum eiusque amorem omnes in scaena res agenda referuntur, apte nec sine consilio hanc potissimum personam ad praefandum poëta elegisse videtur. Tota autem eius oratio facile dividitur in duas partes, quarum altera inde a vs. 40. usque ad finem continuam continet argumenti enarrationem, cum in priore parte res vel laxius modo cum argumento vel omnino non cohaerentes proferantur. Atque in omnibus huius generis prologis, in quibus praeter argumentum

Vier graue Weiber treten auf.

ERSTE.

Ich heisse der Mangel.

ZWEITE.

Ich heisse die Schuld.

DRITTE.

Ich heisse die Sorge.

VIERTE.

Ich heisse die Not.

ZU DREI.

*Die Thür ist verschlossen, wir können nicht ein;
Darin wohnt ein Reicher, wir mögen nicht 'nein.*

e. q. s.

etiam alias res poëta cum spectatoribus communicat, recentiorum ars critica ita versari solet, ut illi a ceteris argumenti expositionem anxie discernere et segregare studeant, quam ut genuinam primo vindicare poëtae non dubitant. Cetera vero quaecumque non arcto vinculo cum ipso argumento connexa sunt, in suspicionem vocare conantur et uni sive pluribus posterioris aetatis recensionibus tribuunt. Itaque etiam nostro in prologo quamquam sane non defuerunt, qui argumenti quoque enarratione offensi totam Charini orationem in paucos versiculos constringendam esse censerent,¹⁾ tamen plerosque inter doctos convenit posteriorem orationis partem quamvis uberem et copiosam prorsus esse aptam et a primo poëta profectam. Quodsi vero in singulis difficultates laud exiguae exstant et compluribus locis traditam librorum scripturam labem traxisse nonnulli statuerunt, quam alii aliis rationibus auferre conati sunt, quippe quia inde ad eam quam nos institimus de prologorum natura et indole quaestionem nullum omnino fructum capere possumus, de illis rebus nunc disserere nolumus et solam priorem prologi nostri partem tractabimus. Sed quia hanc potissimum partem critici auctoritatem Ritschelii secuti pessime habuerunt, cum singulorum versuum ordinem tanta libidine turbarent et perverterent, ut quid traditum sit, quid mutatum vix cognoscere possis, priusquam ad id quod nobis proposuimus animum adtendamus, de versibus ordinandis quid ego censeam et quibus de causis me paucis explicare necesse est. Proficiscor igitur a vss. 16 et 17, qui miserrime truncati in libris sic exarati sunt:

*Et (Fit) hoc parum tē more maiorum (matorum) institi
Per mea (me) perconatus sum vossunq. inde exilico.*

Quibus in emendandis per se quidem duplex iniri potest ratio. Is enim qui persuasum habet ex versus 17. verbis graviter mutilatis quae genuina fuerit versus forma etiamnum

¹⁾ Reinhardt de retractatis fabulis Plantinis, diss. Gryphiswald. Dissertatio integra repetita est in Studemundi Studiis in priscos scriptores latinos vol. I. p. 80 sqq.

perspici posse, sola tradita lectione respecta illam restituet atque tum demum quid iudicandum sit de versu ita constituto inquiret. Hanc viam ingressus est Ritschelius, qui versum laudatum in hanc formam redegit:

Pro mea persona ut sim ad vos index ilico.

Quam correctionem quae sane non nimis longe ab eis quae codices exhibent recedit, quamquam ne ipse quidem Ritschelius extra omnes positam esse dubitationes censuit, cum potius *se laudaturum esse* professus sit, *si cui propius ad librorum fidem accedere emendatori contigerit*, tamen qui post eum de prologo nostro egerunt, summa fiducia iudicantes vel praeclarissimam esse hanc emendationem praedicant vel etiam tam eam certam esse affirmant, ut posterioribus ne verbum quidem mutare fas sit. Sed quia verba sic restituta eo quo tradita sunt loco stare non possunt, post versum secundum ea transponere Ritschelius non dubitavit, et quia ne sic quidem oratio recte progredi videbatur, etiam versus 4—8 ab antecedentibus, quibuscum arete et apte coniuncti sunt, transpositione illa avulsos e loco movit.

Haec vero emendandi ratio, quae quod non intellegitur statim urit et secat, cum ab eis quibus ego imbutus sum artis criticae legibus plane aliena sit, nullo modo a me impetrare possum, ut illius mutationes comprobem. Alteram potius viam ingrediendam esse censeo, qua ubi propter mancam librorum traditionem magnae exstant difficultates, eas ita expeditur studeamus, ut ex integris orationis partibus loco depravato medelam afferamus. Rectius enim mihi videtur ex integra parte petere quomodo verba mutilata restituenda sint, quam ex his divinatione restitutis colligere quid de ceteris iudicandum sit, praesertim cum nostro loco, si quis traditum versuum ordinem perlegerit examinaveritque, laceratum eum esse et discerptum vix sibi persuadere possit.¹⁾ Id igitur

¹⁾ Quia non sine opera ex Ritschelii et Goetzii recensione perspicitur, quomodo in codicibus versus se excipiant, traditum versuum ordinem, qui nisi in Ussingii editione nusquam legitur, hic adseribam:

*Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar.*

agendum est, ut sententia cum antecedentium tum insequentium versuum accurate perlustrata eruere studeamus, quinam fere sensus versus corrupti fuerit. Et cum ex eis quae insequuntur facile intellegas fuisse in verbis depravatis, cui vs. 18:

Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent

causa quaedam subiciatur,¹⁾ Charino haec fere exprimere in animo fuisse crediderim. Ne hoc quidem quod nunc facturus sum amatorum more institi (vs. 16), nam amorem solent cum multa alia vitia sequi tum multiloquium et pauciloquium, quae sic inhaerent amanti, ut ubi necesse est proferri quae sint ad rem, taceat ille et pauciloquio utatur, talia contra quae nihil ad rem adtingunt neque usui sunt, magna eloquatur loquacitate. Itaque equidem non ago e consuetudine amatoria, quod nunc vobis promitte me quae ad rem meam pertinent omnia ab initio et ordine vobis narraturum esse (vs. 17), cum amatores soleant hoc nequire. Loquax autem si vobis esse videar, etiam propterea mihi irasci non fas est, nam in hac re subiectus sum imperio Veneris. Sic fere explicanda esse censuerim haec verba, quae gravissimas difficultates et curas viris doctis creaverunt, neque inepta aut insulsa mihi videtur haec multiloquii excusatio. Fortasse non inutile hic comparari potest fragmentum

*Non ego item facio, ut alios in comediis
Vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut dii*

5. *Aut soli aut huius miserias narrauit suas,
Quos pol ego credo humanas querimomias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint;
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Graece haec vocatur Emporos Philemonis;*
10. *Eadem Latine Mercator Macci Titi.
Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum;
Bivivium iam factumst, postquam abii domo;
Ibi amare cecepi forma eximia mulierem.
Sed ea ut sim implicitus dicam, si operaeest auribus*
15. *Atque ad vortendum huc animum adest benignitas.*

¹⁾ Ritschelius dixerat: nullo corrigendi vel studio vel artificio id effectum iri, quocum recte iungi nam dicas. quam sententiam plerique probaverunt.

Ἐπικλήρου Menandreae, quod partem prologi fuisse aut saltem introduxisse argumenti narrationem inter omnes convenit:

Ἄρ' ἔσσι πάντων ἀγροπνία καλίστατον
Ἐμὲ γοῶν ἀναστήσιμα δευρὶ προάγεται
καλεῖν ἀπ' ἀρχῆς πάντα τὸν ἐμωτοῦ βίον.

Sed quae recentiores duo, Ussingius et Leo, elucubraverunt, quamquam eandem quam modo significavi rationem inierunt, talia sunt quae neque quantum video cuiquam adhuc probaverint neque umquam probaturi sint. Ussingius enim haec:

Mea per conata doctus quae sum inde explico,
quem versum portentum potius quam commentum nominandum esse recte Goetzius indicavit. Quod vero attinet ad Leonis propositum:

Rem campse cefatus sum orsusque inde exilico
neque ei contigisse, ut Plauto restitueret adverbium »*exilico*« hucusque inauditum persuadere mihi possum, quamquam longa ille et docta dissertatione opinionem suam stabilire studuit, et satis longe verba emendata a litteris traditis recedunt.

Quodsi iam ipsi conabimur num forte probabiliter statuere nobis contingat, quae fere fuerit versus depravati forma genuina, praemittenda sunt nonnulla de antecedente versu, quocum hic ita est coniunctus, ut contineat quae sit demonstrativi pronominis *hoc* vis et significatio. Nullo autem modo fieri posse, ut retineatur *maiorum*, quod codex C exhibet, facile ex toto antecedentis orationis tenore intellegas simulque ad veram perducaris scripturam *amatorum* lectionem codicis B *matorum* respiciens. Neque vero de uno hoc verbo dissentiunt interpretes, sed etiam quarto huius versus loco, ubi libri praebent *ēē* vel *esse*. quoniam hoc ferri posse non videbatur, alii alia proposuerunt.¹⁾ Perfectum autem *institi* a verbo insistendi derivare solent viri docti, quod similem in modum hic positum sit, atque *rationem insistere*, *negotium insistere* apud Plautum et Ciceronem legimus. Quamquam hoc fieri posse nemo ne-

¹⁾ Videas adnotationem Goetzii.

gabit, tamen per se nihil impedit, quominus formam intellegamus verbi instandi, quod et apud Plautum et apud Terentium significationem habet constanter contendendi. cf. Terent. Andr. vs. 146 sq.:

ego illud sedulo

Negare factum. ille instat factum,

Plautus Mercat. vs. 239:

Instare factum simia.

Fortasse etiam recte restituit hoc verbum Ussingius in Plauti Amphitr. vs. 877:

Ea quae sunt facta infecta esse instat, clamitat

ubi quae excogitaverunt ceteri vel minus apta sunt vel longe recedunt a codicum scriptura. Quoniam autem ex hoc verbo accusativus cum infinitivo pendere solet, recte quidem, si statimus significationem modo commemoratam, se habere videtur traditum *esse*. His si quis addit in initio versus pro ceterorum codicum lectione *et* librum vetustum B praebere *fit*, facile opinor sibi persuadebit, huius versus formam genuinam fuisse:

Factum hoc parum esse more amatorum institi.

Quid autem *hoc* fuerit continetur versu insequenti. Atque quamvis depravata sint eius verba, unum quidem satis clare perspicui potest. Quod enim vs. 39 auctor revertendum esse dicit, ut *conata* eloquatur, eum iam antea exposuisse se *conata* enarraturum esse apparet. Itaque verba *conatus sum* esse incorrupta neque ullo temptanda emendandi conamine certum est. Neque minus certum existimo nullum nos posse elicere probabilem sensum ex ultima versus voce *exilico* sive servamus verbum Leonem sequentes sive scribimus *ilico* quod voluit Ritschellius. Contra verisimillima videtur Ussingii emendatio *explico*. *p*, quod ante *conatus sum* exstat, facillime oriri potuit ex *q* vel *q̄*, quibus compendiis saepius relativum pronomem scribae exprimere solent. Habemus igitur: *quae*

conatus sum . . . explico. Iam si quaerimus qua ratione haec cum antecedentibus coniuncta fuerint, etiam coniunctionis formam sine opera ex signis traditis eruere possumus. Persuasum enim habeo pmea corruptum esse ex q̄tea = quod ea, ut oratio sic progrediatur: institi non more amatorum factum esse, quod ea quae conatus sum . . . explico. Haec omnia cum certe stare existimem, minus confidenter de eis quae restant iudicare ausus sim, nisi confirmare posse mihi videor verba *vos sum* meram esse dittographiam ex antecedentibus *tus sum* exortam. Quid autem delitescat sub litteris *q̄ inde* difficile est dictu. Quod ex eis quae antecedunt elucet hoc potissimum contra morem amatorum factum esse, quod non in solitudine, ut solent amantes, sed ipsis spectatoribus enarrat Charinus amores suos, pronomem *vobis* in versu stetisse opinor. Duos igitur hos versus ita restituo:

*Factum hoc parum esse more amatorum institi,
Quod ea quae conatus sum vobis explico*¹⁾.

Apte etiam his verbis adnectuntur vss. 18 sqq.:

Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent e. q. s.

Quibus probatis iam quo tendit quaestio nostra progrediemur, ut versibus singulis diligenter perpensis videamus, num quid lucri inde ad compositionem prologorum rectius intelligendam facere possimus. Et in primis statim quibus initium orationis suae Charinus facit verbis:

¹⁾ Aliam versus expediendi viam mihi indicavit Vahlenus. Hic enim ipse quoque a codicis B scriptura profectus versum 17. ita depravatum esse persuasum habet, ut singulae voces a scriba perturbatae sint et male distinctae. sententiam autem genuinam hanc fere habuisse formam:

*Fit hoc — parum esse more amatorum institi —
Per vos, ea quae conatus, sum index ilico.*

Quamquam ne sic quidem omnes difficultates demptae esse mihi videntur, tamen silentio praeterire nolim hanc rationem, quae maxime probabilis mihi videtur. Conferas autem ad sententiam Poen. III. 1. 48:

Horum hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula
et ad formam Poen. III. 1. 44:

Scitis — rem narraui vobis — quid vestra opera mihi opus siet.

*Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar*

nonnulla insunt quae accurate legentem offendant. Adulescens enim qui hic loquitur, cum sit persona ipsius fabulae, omnia quae proferenda sunt eum ita prolaturum esse exspectamus, ut aut invicem cum altero quodam aut solus secum ipse colloquatur. Sed mirifice et contra leges scaenicas factum est non modo quod *decretum* sibi aliquid esse Charinus profitetur, sed etiam quod omnino se argumentum *elocuturum* esse diserte indicat, quae verba talia esse dilucide apparet, ut nostro quidem iudicio a nemine pronuntiari possint nisi a persona scaenicae actionis plane experte. Rursus igitur, quod iam saepius vidimus, poëta eas quae nobis in agentis personae oratione respiciendae sunt formas et regulas scaenicas non curavit, sed quia agens illa persona prologi vice fungitur, eam etiam ut prologum decet loquentem fecit. Sed vix quisquam dubitare poterit quin nostro loco ea, quae nobis intolerabilia esse videntur, non interpolatione vel altera recensione coorta sint, sed ab uno poëta uno consilio effecta. Hoc tenendum est et in memoriam revocandum eis locis, quibus quamquam simillimum occurrit, tamen recentioris aetatis retractatorem saeviisse viri docti pro certo confirmant. Neque minus quam haec Charini adulescentis verba nos proximis in versibus offendere debet, quod ipsos ille alloquitur spectatores:

Vobis narrabo potius meas nunc miserias.

De qua consuetudine quoniam supra iam copiosius quid iudicandum sit exposui, nunc ad illa legentem delegans rem accuratius non persequar, sed satis sit hic admonere etiam hanc poëtae rationem ab nostra componendi arte plane abhorre.

His in rebus cum critici quicquam miri inesse aut omnino non senserint aut certe claris verbis non dixerint, eo gravioribus dubitationibus in eis qui subsequuntur versibus vexati

sunt, quibus fabulae et poëtae graeci latinique nomina cum audientibus communicantur:

*Graece haec vocatur Emporos Philemonis:
Eadem Latine Mercator Macci Titi.*

quae verba ineptissime esse inserta neque ullo modo eis in genuina prologi forma locum fuisse ad unum omnes consentiunt. Hoc ad iudicium faciendum cum variis singuli ratiocinationibus perducti sint, ante omnes eorum recognoscenda erit sententia, qui orationis continuatione disceptata demonstrare posse sibi visi sunt neque ubi traditi sunt neque alio prologi loco versus nostros umquam stare potuisse. Et sic quidem illi ratiocinantur, ut dicant, cum initio orationis suae Charinus se duas res et argumentum et amores suos elocuturum esse professus sit, omnia quae revera postea proferuntur sive ad unam sive ad alteram rem referri posse debere. Tituli autem nomenclatio cum neque amorum pars sit neque ad argumentum pertineat, apparere ea verba quibus res didascalicae continentur, toti prologi consilio maxime repugnare neque ab eodem poëta scribi potuisse, a quo primi orationis versus compositi sint. Sed si animo nobis fingimus poëtam omnino consilium spectatores de rebus illis didascalicis edocendi cepisse, eum nullo modo melius hoc efficere potuisse concedendum est, quam ut fabulae et poëtarum nomenclationem ipsi argumenti euarrationi anteponeret. Haec enim ratio et per se aptissima est et in prologis Plautinis saepe adhibita. Neque ea re difficultates creari, quod non diserte nominum commemorationem poëta ab argumenti expositione seiunxit, ex Militis Gloriosi, Trinummi, Casinae prologis discere possumus, quibus locis iam supra usus sum, ut ostenderem, quam perverse plerique de eis critici iudicaverint. Sed accedit etiam aliud, quo auctorem prologi consilio et ratione versus in eo quem tenent loco posuisse eo magis confirmetur et stabiliatur. Ut enim uberiores Charini enarrationem rerum suarum defenderent, suo iure nonnulli commemoraverunt de itineribus quae mercaturae exercendae

causa invenis fecit, compluribus verbis iam propterea poëtae referendum fuisse, ut causam et interpretationem praeberet audientibus, unde tandem Mercatoris nomen fabula traxisset. Tali autem in re quomodo aptius potuit poëta agere, quam ut quod voluit etiam claris exprimeret verbis Charinum prologum ita loquentem faciens:

*Graece haec vocatur Emporos Philemonis:
Eadem Latine Mercator Macci Titi.
Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum.*

Quocumque igitur mentem versamus, recte singulas inter se connexas esse sententias atque commode progredi orationem videmus neque illinc quicquam suspicionis versibus nostris inferri patiemur. Brevi modo attingam eorum sententiam, qui post Plauti aetatem versus additos esse censuerunt, *quo tempore Romani iam cultiores facti a prologo etiam Graecum fabulae nomen et auctorem postulabant.*¹⁾ Parum enim considerate hi ad iudicium faciendum eis utuntur, quae ex ipsis demum prologis nobis discenda sunt. Hae sunt causae quibus recentiores nixi summa fiducia versibus illis genuinam originem derogaverunt, in quibus nihil inesse fidei et gravitatis quicumque animo non occupato ad rem aggressi erunt, facile perspicient.

Idem opinor accidisse nostro loco quod Trinummi prologi versibus de quibus antea dixi, quod viri docti aliquid inhaerere miri et quod legentem offendat aperte sentiebant, sed quid hoc sit, neque satis accurate intellexerunt neque studuerunt indagare. Dubitationes autem iude rursus oriuntur, quod Charinus, fabulae persona, non talia profert quae personae fabulae apta et accommodata sunt, sed refert res didascalicas ab actione scaenica longe remotas.²⁾ Si igitur ad vivum rem resecaamus

¹⁾ Ussingius in adnotatione.

²⁾ Hanc veram difficultatum causam unus perspexisse videtur Liebigius, cuius verborum nemo postea rationem habuit: *Attamen qualis nunc prologus est non solum eam ob rem a Plauto profectus esse nequit,*

idem vitium quod iam in prioribus prologi verbis deprehendimus, etiam nostris versibus inesse videmus, gravius modo et quod eo facilius conspiciatur. Hoc si quis recte secum reputaverit, fortasse ne de versibus 16—38 quidem tam confidenter iudicabit ut fecerunt critici, qui hos versus e prologo eiciendos esse propterea maxime censuerunt, quia omnia quae hic enarrantur nullo vinculo cum Charini rebus et amoribus connexa sint. Tali in argumentatione quicquam auctoritatis inesse vix credemus, cum viderimus poëtam in tota prologi priore parte non id curavisse, ut verisimilitudinis speciem servaret et adolescentem talia proferentem faceret, quae a fabulae persona apte proferri possunt, sed eum communicavisse quaecumque vitia ei videbantur neque diversa genera inter se miscere aut contra leges scaenicas peccare veritum esse.

Eadem autem ratione, quam modo vidimus, critici etiam RUDENTIS¹⁾ comoediae prologum tractaverunt, qui ab Arcturo, splendidissima in Bootae signo stella, ita profertur, ut in priore parte de ipsius sua persona ille complura enarret, in posteriore communicet cum spectatoribus res fabulae actionem antecedentes, sed quae sciri debent, ut quae in scaena aguntur possint intellegi. Inde igitur rursus profecti quod in universum sta-

quod poëtae nomen Macci Titi et exemplar graecum proferuntur, quod in hominem adolescentem ab itinere reducem qui amores suos elocuturus est vix cadat, sed etiam ob priorem prologi partem quae narrationem argumenti male molesteque perturbat, Plauti fuisse prologum nego. Quamquam et de hac re et de toto prologo ille, quia Ritschelii mutationes et transpositiones disceptationi suae tamquam fundamentum subiecit, mire et perverse iudicat.

¹⁾ Cf. Dziatzko, Ueber den Rudensprolog des Plautus. M. Rh. 24. p. 570 sqq.

Martins, Quaestiones Plautinae de Captivorum, Amphitruonis, Poenuli, Rudentis fabularum prologis e. q. s. diss. Halis Sax. 1879. De hoc libello, quem semel hic commemoravisse satis sit, omni ex parte comprobo Lorenzii iudicium severum illud quidem sed iustum. Burs. annal. 1889. II. p. 3: *Grössere Vertraulichkeit mit dem Plautus und sorgfältigere Durcharbeitung der Prologpartien würden ihm Spuren gezeigt haben, die nicht eben auf Unechtheit hindeuten, und ein unreifes und haltloses, noch dazu nicht eben in bescheidener Weise vorgetragenes Urtheil verhüten haben.*

tuerunt argumenti expositionem aut totam aut maiorem partem ipsius Plauti esse solere viri docti etiam nostro in prologo posteriorem partem nisi levidensibus nullis interpolationibus inquinatam esse censuerunt, sed in priore prologo complures versus ut retractationem vel alteram recensionem olentes se creverunt. Et hanc quidem sententiam illi ita confirmare conati sunt, ut hos versus suspectos neque cum altera prologi parte neque cum ipsa fabula congruere et concinere, sed diversam inter illas rationem intercedere ostenderent. Nos autem si eodem modo ut supra fecimus in prologum nostrum inquisiverimus, omnia quaecumque antea statuenda esse nobis videbantur etiam hoc in prologo occurrere videbimus et non modo proprias huius generis notas easdem sed etiam eadem vitia inveniemus. Atque primum quidem si quaerimus cur Arcturo potissimum prologi vicem poëta mandaverit, non difficile est ad respondendum. Cum enim tempestas quaedam, cuius vim et violentiam statim initio comoediae Sceparnio servus describit, magni momenti sit ad rationem qua res in scaena agendaer fiant et progrediantur, auctor cum prologi praefationem arctiore vinculo cum cetera fabula coniungere studeret, nullam personam magis idoneam invenire potuit quam deum quendam, qui numine suo ventos illos fluctusque exagittavit. Sic enim is qui prologi munere fungitur, non modo rerum quae in fabula aguntur quodammodo ipse particeps est. sed etiam de rebus quae verae actioni praemittendae sunt, quia dei omnia sciunt, bene apteque audientes certiores facere potest. Non inutile est hoc monere, cum non satis accurate a nonnullis dictum sit, poëtam deo cuidam prologi partes deferre propterea coactum esse, quia duplex in fabula nostra insit actio, de qua spectatores edocere neminem nisi divinam personam potuisse. Hanc vero difficultatem, si voluisset, poëta facile ita evitare potuit, ut alterum prologorum genus eligeret et histrionem proprio ornatu indutum argumentum enarrantem faceret. Quodsi non ita ille egit, sed personam aliquam indagare studuit, quae verisimilitudine quadam munus illud susci-

pere possit, vix aliter hoc explicare licebit nisi eum prologi praefationem ipsi actioni scaenicae quam maxime aequare et accommodare voluisse. Adtendendum autem est poëtam satis habuisse prologi verbis exprimere, quomodo Arcturus cum fabulae actione coniunctus sit, neque in ipsa fabula ullam illius mentionem fecisse. Haec enim ita composita est, ut nisi haberemus prologum, Arcturi ullas in comoedia partes fuisse neque comperiremus neque suspicaremur. Hoc si quis recte intellexerit etiam perspiciet quam vanum sit ex vera fabula ad versus quosdam prologi damnandos causas petere. Minime enim compositionis rationem eos intellexisse crediderim, qui ut vss. 8—30 in suspicionem vocarent, ita ratiocinati sunt, ut in his quidem versibus Iovis magnas partes esse dicerent, in ipsa fabula nullas. Poëta enim, ut in omnibus his prologis factum est, cum prologi oratoris personam quodam modo cum fabulae actione cohaerere significasset, ultra non progressus est neque quae in prologo inchoavit et indicavit, postea in ipsa fabula persecutus est et illustravit. Itaque non minus perversum est si quis exspectat ea quae ineunte prologo de hominum maleficiis et Iovis aequitate atque iustitia exponuntur, etiam postea commemorari debere et quae antea in universum dicta sint ipso fabulae eventu quasi firmanda esse et stabilienda. Si igitur abicimus talem argumentationem, quae componendi consuetudine qualem cognoscere nobis videbatur minime probatur, et si solos in prologi versus inquirimus, num accommodati sint loquenti et apte inter se coniuncti, omnia quae inde ab initio usque ad vs. 30 proferuntur bene sciteque dicta esse neque ullam dubitationis ansam praebere vix quisquam negare poterit.¹⁾ Fortasse ne ei quidem errant qui omnes hos versus iam in

¹⁾ Nuperrime etiam prologo nostro accedit, ut tecta eius duarum recensionum vestigia indagarentur. Ingeniosi huius inventi auctor est A. E. Anspach, qui in Fleckeiseni annalibus vol. 139 p. 169 sqq. demonstrare studuit vss. 11 12. 17—20. 22 sqq. esse Plautinos, vss. 13—16. 21. retractatoris. Ut fere semper in hac recensionum et amplificationum investigatione fieri solet, tota argumentatio in eo solum posita est, quod nonnulli versus aliqua ex parte inter se similes sunt.

graeco exemplari fuisse contendunt, quamquam locupletibus argumentis hoc demonstrari non potest. Facile autem ad hanc sententiam perducaris si nostro cum loco comparaveris Philemonis¹⁾ quoddam fragmentum initio prologi nostri simillimum:

Ὁν οὐδὲ εἰς λέληθεν οὐδὲ ἐν ποιῶν
οὐδ' αὖ ποιήσων. οὐδὲ πεποικῶς πάλαι
ὡςτε θεῶς ὄστ' ἀνθρωποῦς οὐτός εἰμὶ ἐγώ.
Ἄγρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

5. ἐγὼ δ' ὃ θεοῦ ἴσταν ἔργον. εἰμὶ πανταχοῦ
ἐνταῦθ' ἐν Ἀθήναις. ἐν Πάτραις. ἐν Σικελίᾳ
ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν. ἐν ταῖς οἰκίαις
πάσαις. ἐν ἡμῶν πᾶσιν. ὅτι ἔστιν τόπος
οὐ μὴ ἴσταν Ἄγρ. ὃ δὲ παρῶν ἀπανταχοῦ
10. πᾶντ' ἐξ ἀνάγκης οἷδε πανταχοῦ παρῶν.

Silentio hic praeteribo, ne crambe repetita, ut aiunt, fastidium moveat legenti, etiam hoc in prologo totam partem priorem ad ipsos spectatores datam esse, quod magis prologum decet quam personam actionis participem. Eo maiore autem animi attentione dignos censeo versus 32. 33. quos critici, qui in scirpo saepissime nodos quaerere solent, ne verbo quidem tetigerunt. Quod enim Arcturus ut spectantes de loco ubi fabula agitur certiores faciat, his verbis utitur:

*Primum dum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit.*

eodem in genere a poëta peccatum esse elucet, quod iam in Trinummi vss. 18—21 et in Mercatoris vss. 9. 10. disceptavimus. Quomodo enim fieri potest, ut Arcturus, fabulae persona, de graeco comoediae auctore verba faciat? Nonne omnis veritas et verisimilitudo scaenica tollitur? Et hic quidem clare perspicere possis mirificam interpretum temeritatem, qui quamvis gemellae res sint, quod alio loco non satis acerbè vexare possunt, ne sentiunt quidem alio. Quid iudicandum sit de his versibus compluribus verbis disserere supervacaneum est, sed

²⁾ Meinecke frgm. com. gr. ed. min. p. 840.

sunt exemplum maxime idoneum ad sententiam nostram, quam supra professi sumus, fulciendam et stabiliendam.

Pluribus difficultatibus refertus est prologus MILITIS GLORIOSI, qui a Palaestrione servo non, ut fieri solet, statim in fabulae initio pronuntiatur, sed una scaena iam praemissa. Huius enim prologi Lorenzius et Brixius, editores de hac fabula optime meriti, tres secernendas esse partes et oratione et tempore inter se diversas uno consensu iudicaverunt, quarum priores duas ad repetitas comoediae actiones a posteriore quodam poeta vel ab histrione compactas esse, tertiam autem inde a vs. 95 usque ad finem proclivi currere neque quicquam praebere quo impediamur quin totam hanc partem a Plauto ipso compositam esse nobis persuadeamus.¹⁾

Contra Ribbeckius, qui a. 1882 eam textus formam edidit, quam in lectionibus de hac fabula Plautina saepe habitis auditoribus suis explicare et defendere solebat, *totam quae prologi instar est orationem nova recensione saeculo u. c. septimo ita depravatam atque interpolatam esse arbitratur, ut vere a Plauto relicta non audeat a noviciis secernere, quamquam postrema pars inde a vs. fere 136 magis veterem redolet poetam.*

Hoc ad iudicium faciendum illum non solum perduxit quod in ipsa oratione lacunas, salebras, ineptias deprendi putabat, quales bonus poeta non committeret, sed etiam in compositione scaenarum, si prologum cum eis quae insequuntur comparamus, inter se repugnantia ei inesse videbantur, quae ab uno eodemque poeta profecta esse non possint. Videmus igitur etiam hunc prologum a criticis ita bipartitum esse, ut argumenti enarrationem a ceteris seiungerent. Sed cum reliquis in prologis, quos adhuc tractavimus, res ita comparata esset,

¹⁾ Brixius ad vs. 95: *Von Vers 95 bis zu Ende scheint der Prolog, wie auch sonst die erzählenden Partien der Prologe, plautinisch und aus dem Griechischen übertragen zu sein.*

Lorenzius ad eundem versum: *es beginnt die einfache, gut fließende Erzählung des Arguments, in welcher wir den echten Prolog zu erkennen glauben.*

ut in ea parte quae argumenti expositione continetur, aut nullas aut levidenses modo difficultates oriri omnes consentirent, nunc de simili re doctorum sententiae in diversas partes discedunt. Quae cum ita sint, omissis paulisper prioribus prologi partibus, de quibus postea quid sentiam profitebor, ab ea Palaestrionis oratione proficiscendum erit, qua ille continuo et ubere sermone res ipsam actionem antecedentes spectatoribus enarrat.

Palaestrio autem ea quae de pariete perfosso et de puellae custode profert, ita profert, ut auditori credendum sit quidquid futurum est illum iam providisse et consilium conservi decipiendi iam esse factum. Qua enim alia ratione accipi possunt verba:

*Ei nos facitis fabricis et doctis dolis
Glaucumam ob oculos obiciemus eumque ita
Faciemus ut, quod viderit, ne viderit.*

Neque minus eis quibus deinde de puella duplicem personam mox actura spectatores admonet:

*Et mox ne erretis, haec duarum hodie vicem
Et hinc et illinc mulier feret imaginem
Atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur*

nobis persuadere cogimur dolum istum iam absolutum esse et perfectum, quo re vera postea os mulieris custodi sublinitur. Prorsus autem aliter atque post hanc narrationem exspectamus, scaena insequens composita est. Palaestrio enim, qui modo tanta fiducia locutus est, ut omnia iam consuluisse videretur, cum ex Periplecomeno sene audiat Philocomasium et amatorem a nescio quo militis familiarium per impluvium tecti osculantes conspectos esse, maximo subito timore percussus crucem sibi imminere lamentatur et omnia periisse. Multo demum peracto tempore animum suum erigit et consiliis ad senatum convocatis tandem dolum suum, quo doloso conservo occurri possit, in lucem edit, non sine magnis et animi et corporis laboribus, qui a sene Periplecomeno festive describuntur. Ne id quidem uno consilio effectum videtur, quod Palaestrio qui antea de

certo quodam militis servo, de puellae custode, locutus est, nunc a Periplecomeno comperire non potest, quis fuerit ille qui amantes osculantes deprehenderit, sed tertia demum huius actus scaena ineunte ab ipso Sceledro edocetur. Haec omnia tam aperte inter se repugnant, ut unumquemque qui accurate fabulam perlegit, statim offendant, atque miratus sum quod editores plerique ne indicium quidem huius discrepantiae in annotationibus fecerunt.

‘Omnes autem has difficultates evitari posse nonnulli sibi persuaserunt versibus 145—149 deletis.’¹⁾ Sed quia ut hanc rationem inirent illi non solum causis modo commemoratis adducti sunt, sed etiam in ea re maxime haeserunt, quod ne ipsa quidem oratio recte eis progredi videbatur, ne diversae doctorum rationes miscere et confundere arguar, iam ab instituto paullo digrediar et quid de sententiarum huius loci continuatione iudicem paucis interponam, praesertim cum a solita criticorum opinione mens mea longe recedat.

Versus enim 145 qua ratione cum antecedentibus cohaereat, cum omnibus et antiquis et recentioribus interpretibus haud parvas curas et difficultates moveret, aut ante eum nonnulla interciderit aut totum hunc locum a vs. 145—149 additamentum esse adsutum ad versus qui antecedunt amplificandos suspicio orta est. Ipsas autem editorum explicationes inspicere non inutile erit. Et Ussingius quidem haec: *Donatus ad Ter. Hec. I. 2. 100 hoc loco allato „nam“ inceptivam particulam esse dicit, quibus parum iuvamur: potius dixerim non ad proxima referendum esse sed ad caput sententiae (nisi custos tam stolidus fuisset, illa agere non potuisset). sed dubitare me fateor ac nescio an iure Dziatzko M. Rh. XXIX. vss. 145—149 pro spuris habeat.* Brixius: *Der Zusammenhang ist: Denn was sonst das Mädchen am freien Durchgange hindern könnte, der ihr zur Aufsicht beigegebene Sceledrus, mit dem werden wir leicht fertig werden.* Lorenzius: *Nam ist auffallend; vielleicht ist hier wieder (!) etwas verloren gegangen. Man könnte sich*

¹⁾ Cf. Dziatzko M. Rh. XXIX. p. 53.

den Uebergang denken: »Und wir fürchten selbst den Fall einer Entdeckung nicht gar zu sehr, denn —«. Quorum omnium nullam verum attigisse arbitror, sed nisi fallor viri docti, ut dicunt, prae multitudine arborum silvam non viderunt. Errorem autem ortum esse crediderim ex falsa interpretatione verborum non magni preti, quae, si recte illorum mentem perspexi, fere idem esse autumant atque nullius momenti esse. Quod non iure eos statuere demonstrari potest his exemplis:

Mil. Glor. vs. 558:

*Ratum es, dic, me hominem esse omnium minumi preti,
Si ego me sciente paterer e. q. s.*

Trin. vs. 925:

Satin inter labra atque dentis latuit vir minumi preti.

Gell. 17. 6. 2:

Servus nequam et nulli (sic!) preti,

quibus edocetur hanc locutionem de hominibus non nisi de vilitate et nequitia animi positam esse. Hoc si tenemus, nostri loci prorsus aliam evadere interpretationem apparet atque editores voluerunt, cum particula ‚nam‘, ut exspectamus, introducatur causa eorum, quae a se facta esse modo Palaestrio enarravit. Cum enim amatori contigerit, ut apud hospitem paternum in domo militi vicina deverteretur, facilis visendi copia amantibus data esse videtur. Quo in rerum statu ne quis forte miretur, cur tam *magnas intus paraverit machinas* servus, ille addit: ego enim quem sene suadente perfecti dolum excogitare debebam, nam conservus meus quem amicae custodem miles dedit, homo est nequissimus, qui si quid senserit statim sine dubio domino rem indicabit. Sed ei facietis fabricis glaucumam ob oculos obiciemus e. q. s. Minime autem Palaestriionem conservum suum nihili aestimare, sed timere ab eius nequitia atque valde laetitia efflatum esse quod docto suo dolo illius cautionem irritam reddiderit, cum ex aliis fabulae locis¹⁾

¹⁾ Cf. vs. 190:

dum consulo,

Quid agam, quem dolum doloso contra conservo parem.

perspicere possumus tum ex versibus 468 69, qui temeraria quae mihi videtur Sophi Buggii¹⁾ coniectura depravati sunt, qui vir doctus pro vulgari »canto« »incanto« legendum proposuit:

Ut sublimitur os custodi cauto, conservo meo.

Nimis beat, quod comaeatus transtinet trans parietem.

Accedit autem, ut ad propositum revertamur, quod hac ratione quam orationis forma minime probari modo demonstravimus, non solum parva modo pars offensionum tollitur, sed etiam ea potissimum pars quae facillime ansam explicationis praebet, quoniam si solis in his versibus haerendum esset, recte mea sententia ita fere responderi potest: In universum modo rerum futurarum nescius Palaestrio vss. 145—49 se deruncinaturum esse iactat conservum suum enim custodiam concubinae miles mandavit. Sed brevissimo tempore post cum a Periplecomeno omnia patefacta esse edoceatur, vehementissime, quia praeter spem tam subito hoc evenit, consternatus in hac re difficillima, quae etiam implicatior evadit eo quod ne conspicere quidem potuit qui de tecto amantes viderit, de salute desperat. Deinde autem animo et consilio revocato, quod antea modo gloriatus est se dolum excogitaturum esse quo adversarii decipiantur, re vera praestat, et postquam tertia scaena ineunte per casum invenit eum, qui simiam sectatus Philocomasium in domo vicina conspexit, facillime omnia telae fila ita ducere potest, ut fiant laquei quibus conservus implicetur. Quae explicatio, per se quidem ut mihi videtur bona et apta, corrumpit quod non solis vss. 145—149, sed eis qui inde a vs. 150 sequuntur multo magis offendimur, quibus inspectis in cassum et vanum Dziazkonem tela sua misisse apparet. Cum vero sententiarum forma et nexus prohibeant, quominus una cum versibus a Dziazkone damnatis etiam ei qui insequuntur deleantur (neque enim vs. 144 oratio desinere potest neque vss. 154. 155 recte statim versui 144 subiciantur), omnis haec iudicandi ra-

¹⁾ Philol. XXX. p. 642. Eum secutus est in editione Brixius.

tio abiicienda est, qua singulae exeuntis prologi partes in suspicionem vocantur.

Quibus perpensis nihil simplicius esse videtur quam cum Ribbeckio facere, qui inexplicabile Gordii vinculum uno ictu dissecat ita ut totum prologum obrudat poëtae malo, stulto, inattento, ne digno quidem qui Plauto corrigias solvat. Sed hanc sententiam secutus caveas ne in difficultates maximas incidas, e quibus audacissimae argutiae te extricare non possint. Nam si animo vobis conformare studemus, quoniam genuina fabulae forma ab ipso Plauto profecta fuerit, prologum non omnino omitti potuisse sed similem eius quam nunc legimus enarrationem qua spectatores de argumento edoceantur, necessario scaenam alteram huius actus antecessisse ab omnibus concedendum est et conceditur. Quin etiam non modo similes sed easdem res narratas fuisse ex insequentium scaenarum compositione iure colligitur, quoniam ita res agitur, ut spectatores et de prioribus Palaestriionis, Philocomasii, amatoris Atheniensis condicionibus et de pariete perfosso iam edoctos fuisse perspiciamus. Videas, quaeso, quanta sit rerum turba et obscuritas! Ea quae a Plauto ipso scripta fuerunt *διασκευαστής* quidam retractavit, et ita quidem retractavit, ut prorsus eadem evaderent, ut neque adderet quicquam nec demeret! Quae fuit causa tam mire agendi? An ut versibus componendis ille se exerceret? Sed accedit tertium. Idem enim homo quem stultitia sua omnem finem et modum transiisse Ribbeckius sibi persuasit (*die Verse 145—153 konnte ein nur mässig aufmerksamer Dichter, welcher die dramatische Illusion nicht gar zu sehr in den Wind schlug, hier nicht vorausschicken*), et versus composuit optimos (*die Verse 145—153 so gut sie an sich sind*) et quae ei exponenda erant, eleganti et apta oratione enarravit. Eheu! observate, adiuvate, dei deaque omnes, ut emergere possimus ex alta voragine in quam malum ducem secuti incidimus!

Omnes autem difficultates quas in prologo inesse nemo negabit, statim evanescent, cum non a Palaestrione sed ab alia persona sive a deo quodam sive ab histrione prologus

pronuntiatur. Qua de causa apud Plautum fortasse Venerem prologi munere functam esse Ribbeckius quamquam dubitanter suspicatus est. Sed quantam rursus in tali opinione molem rerum obscurarum et improbabiliū! Si enim in genuina fabulae compositione non Palaestrionem, sed aliam quandam personam argumentum enarravisse animo nobis fingimus, etiam initium scaenae insequentis olim aliter formatum fuisse nobis statuendum est, quoniam ea quam nunc habemus forma Palaestrionem iam in scaena fuisse comprobatur. Quis autem causam effingere potest, cur retractator aliquis prologum a Plauto compositum non integrum reliquerit, cur eum forma, non rebus mutatum Palaestrioni tribuere maluerit, cur nullam aliam ob rem nisi ut hoc fieri posset, etiam scaenam quae insequitur mutaverit? Nemo nisi insanus homo et dignus qui Anticyram veheretur, talia committere potuit.

Interpretes omnes, ut brevi sententiam meam profitear, in eo erravisse mihi videntur, quod non accurata explicatione et pervestigatione mentem poetae assequi studuerunt, sed quia ea quae tradita sunt, ad nostrae aetatis iudicium redigere maluerunt et vanis remediis sanare conati sunt, quae omnino sananda non sunt. Quae enim adeo intolerabilia esse videbantur, ut nisi a stupidissimo homine profecta non esse critici iudicarent, prorsus ad eandem rationem ni fallimur referenda sunt, cuius iam supra exempla complura attulimus. Nam quamquam poeta non sine consilio argumenti enarrandi partes Palaestrioni servo dedit, quippe qui ad hoc munus maxime idoneus videbatur non minus eo quod omnibus rebus etiam antea gestis ipse interfuit, quam quia is est in quem omnia comoediae fila tendunt, tamen non ita ut fabulae personam decet eum loquentem fecit neque cum eius oratione concinere ea curavit quae in vera fabula fiunt. Fortasse vituperandum hoc est neque ego is sum, qui quod aperte contra primas artis scaenicae leges factum est, temere defendam, sed id quod hic nos offendit acrius reprehendendum esse nego quam quae in simili genere poetam sibi permisisse supra demonstravimus.

Male igitur de Plauti arte investiganda meritos esse eos criticos censeo, qui infirmis et fragilibus rationibus nixi hanc labem a Plauto abstergere studuerunt.

Ad extremum de priore prologi nostri parte perpauca disseram, de qua non ea confidentia iudicare ausus sim qua critici plerique omnes usi sunt, qui quod verbum sedendi saepius a poeta positum videmus, colligere posse sibi visi sunt hanc prologi partem illo demum tempore ortam esse, quo theatra iam gradibus instructa fuerunt.¹⁾ Sed quod iam per se verisimile est etiam Plautina aetate populum non per totam fabulam stantem spectavisse, sed plerosque aut humi aut in sellis quas secum portabant, conedissee, nonnullis locis Plautinis pro certo confirmatur.

cf. Aululariae vs. 718:

novi omnes, scio fures esse hic complures,

Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi.

Trucl. in fine:

Spectatores bene valete, plaudite atque exsurgite.

Epidici in fine:

Plaudite et valete: lumbos porgite atque exsurgite.

Nostro autem loco auctorem prologi de gradibus cogitavisse quis demonstrare potest? Nimis enim acute et contorte excogitata est sententia Dziatzkonis (Allgemeine Gesichtspunkte, p. 2): *Wenn man hier nämlich nicht an feste Sitzplätze denkt, so sieht man schwer ein, wie die Anwesenheit des einen Sitzenden den andern noch nicht Sitzenden am Sitzen habe hindern können (!?).* Nam cum cavea carceribus ligneis cingi soleret, sane is qui *foras exsurgebat*, alii facultatem spectandi praebebat. Neque minore temeritate critici egerunt, quod post vs. 87 nonnulla excidisse statuerunt, cuius rei nullam aliam causam proferre possunt nisi in compluribus prologis nomina poetarum et graeci et latini commemorata esse. Quid autem

¹⁾ Cf. Ritschl parerga Plautina I. p. 209 sqq.

iudicandum esse censeas, quod ubi pleniore res didascalicae a poeta narrantur, hoc interpretes argumento sibi sumunt non a Plauto profectum esse prologum, ubi indicata modo sunt nonnulla, ut nostro loco fabulae nomina, cetera intercidisae contendunt! Destituito igitur horum arbitrato et libidine si ipsos prologos traditos consulimus, poetam ita egisse videmus, ut quodcumque utile ei videbatur, cum spectatoribus communicaret. Sic in Mercatoris et Trinummi prologis nomina commemorata sunt et poetarum et fabularum, in Milite Glorioso solum nomen graeci poetae, in Aulularia et Cistellaria neque unum neque alterum.

CISTELLARIAE primi actus scaenam tertiam a Plauto abinducandam et tribuendam esse censent interpolatori, redactori, recensori, amplificatori vel quo alio nomine significari solent homines illi maxime nefarii et nequissimi, qui scelestae ea quidem sed paene admirabili arte fabularum Plautinarum textum plerum olim et genuinum ita stultitiis suis inquinaverunt, ut huius demum aetatis viris doctis nonnullis mira saepe et incredibili ad investigandum sagacitate praeditis contingat, ut recensione duarum, trium, quattuor, etiam plurium tectas commissuras et compages detegant, ut surculos interpolationis non ita tenues falce critica attenuent, ut sterilibus amplificationis herbis evulsis textus formam, ut illis videtur, elegantissimam atque solam Plauto dignam in lucem edant. Hac in re omnes hodie quantum video critici consentiunt, quamquam earum quas initio huius disputationis commemoravimus nulla damnandi causa proferri potest.¹⁾

¹⁾ Ritschelini parerga Plautina p. 237 in adn. haec: *Die einen Prolog vollkommen vertretende Mittelszene der Cistellaria (I. 3) hält Vissering für späteren Ursprungs. Sehr möglich.*

Lorenzianus in Mil. Glor. praefatione p. 50. adn. 21: *Es liegen auch in den überaus unvollkommenen Motiven dieser beiden Szenen (I. 2 und I. 3), in der lächerlich faden Fiction eines „Hilfgottes“ und in einigen andern Verdachtsgründe genug vor.*

Ribbeckius in Alazone p. 59 adn. 2: *der Verfasser des Cistellariaprologs könnte derselbe sein als der des unsrigen sc. Militis Gloriosi, de quo*

Priusquam autem ad ipsum prologum¹⁾ adgrediamur, de nonnullis versibus, qui fere eidem et in lenae et in Auxilii oratione traditi sunt (I. 2. 10—13 = I. 3. 42—45), iudicium faciendum est. Quod enim nonnulli ratiocinati sunt scaenae alterius vs. 10—13 abiudicandos esse, si narratio insequens Auxilii genuina habetur, sin spuria, versus illos esse retinendos, in eo prorsus a vero aberraverunt, cum potius in sola scaena secunda arbitrium positum sit. Neque recte versum 120 sqq. ordinem in codicibus servatum esse cum primo statim appareat obtutu, olim iam Acidalius veram eorum distributionem proposuit, quam nunc in Ussingii editione legimus. Nullo autem modo fieri potest, ut vs. 121—124:

Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,

Quiaque adeo me complevi flore Liberi,

Magis libera uti lingua conlubitum est mihi;

Tacere nequeo misera, quod tacito usus est,

ut confictos modo ad tres priores amplificandos cum Ritschelio (parerga p. 237 adn.) damnemus. Quibus deletis oratio hiat neque iusto interpretationis subsidio explicari potest, qua ratione particula »nam« cum antecedentibus coniungenda sit. Minime enim huc spectat nota illa Plauti aliorumque poetarum consuetudo, qua hanc particulam ita ponunt, ut quisquam ea causam

sic ille indicat (p. 59): *die Geschwätzigkeit, die unständliche und doch nicht erschöpfende Breite des Berichts, die faden Spässe verraten ebenfalls einen jüngern Verfasser aus jener Zeit als die Muse der fabula palliata entkräftet daniederlag.*

Nec non Ussingius, qui in ceteris caute iudicium suum reticere solet potius quam temere aliorum opinioni assentiri, quamquam olim aliter iudicaverat, nunc in Cistellariae adnotationibus priore sententia reiecta in verba reliquorum criticorum iurat.

¹⁾ Liceat mihi hic in transcurso perpauca adnotare. De Truculenti Plautinae initio nonnulli viri docti ita disseruerunt, ut in genuina huius fabulae forma primi actus primam scaenam prologi instar fuisse contenderent. Quod factum esse iam propterea Dziatzko (M. Rh. XXIX. p. 54) negat, quia huic scaenae signum DV. superscriptum est, quod omnibus in fabulis Plautinis sexagesies fere occurrens nunquam in prologis positum sit. Errore captum esse virum doctum prologo nostro evincitur. Legimus enim in codice Ambrosiano E: PROLOGUS DV.

afferat cur praemissam quandam sententiam generalem omnino pronuntiaverit, sed necessario hic desideratur transitus eiusmodi, ut lena dicat solito mulierum saburratarum more etiam se ipsam nunc, cum saburrata sit, acturam esse h. e. desiderantur talia quae in libris leguntur. Quae autem in orationis forma Ritschelium offenderunt: *unverständlich ist das quin; hart die Construction, deren halber man wenigstens vs. 10 vor 9 gesetzt wünschte*, ea mihi potius genuitatem versuum confirmare videntur. Cum enim eluceat non iustam verborum compositionem a poeta effectam esse, sed eo quod initio enuntiati verbum subicitur quod non expectabatur, eam ortam esse formam rhetoricam quam anacoluthon vocare solemus, ego non video, cur ex prioribus verbis *quin ego nunc* non evadere possit talis sententiae conformatio, in qua particula *quin* suum teneat locum. Constructionis autem negligentiam, quae vix tolerari posse videtur, ab interpolatore quodam commissam esse cum eo minus mihi persuadere possim, quia facillime vitari potuit, ab ipso Plauto non sine consilio eam profectam esse iudico, ut etiam oratione mulieris ebrietatem depingeret. Cui opinioni certa additur fides, quod hanc formam quae in fabulis Plautinis non ita saepe occurrit, bis positam videmus in oratione hominis insanientis. Conferas quaeo Menaechmorum vs. 853 sqq.:

nunc hunc impurissimum

Barbatum, tremulum Tithonum, qui cluet Cucino patre

*Ita mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua
Comminuam illo scipione quem ipse habet*

et vs. 858 sq.:

*Faciam quod iubes: securim capiam ancipitem atque hunc senem
Osse fini dedolabo assulatim ei viscera,*

quibus locis anacolutho Plautum usum esse eam ob causam, ut Menaechmi vesania, quae iam verbis absurdis exprimitur, etiam mira verborum conformatione eo clarius appareat, iam dudum perspectum est (vid. Brixii adnot.). Eodem mihi nostro loco spectare videtur quod *libera lingua uti conlibitum est mihi*

et *tacere nequeo misera* iuxta ponuntur. Sic enim homines ebrii loqui solent.

Insequenti autem oratione lena enarrat meretricem quam modo flentem abire spectatores viderunt, non re vera esse filiam Melaenidis lenae, sed proiectam olim ex angiportu a se ipsa sublatam esse datamque Melaenidi, quae amatoris cuiusdam peregrini decipiendi causa eam sibi supposuit. Cuius narrationis cursus mirum in modum interrumpitur versibus 127--130. Neque enim intellegitur quid adolescentis et amoris commemoratio hic sibi velit neque vs. 131 his versibus interpositis habet, quo recte referatur, quoniam pronomen demonstrativum *eam* non nisi ad *parvulam puellam proiectam* versus 126 pertinere potest, cum in versibus interiectis de muliercula iam adulta dicatur. Accedit quod ex antecedente meretricium et lenae colloquio colligitur ne scire quidem lenam ea, quae versibus suspectis hic eloquitur. Nam cum huic ex Selenio quaeritanti num iam unquam cum quiquam viro consueverit, illa responderit: Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine, lena mirabunda vs. 86 exclamat:

Obsecro

Quo is homo insinuavit pacto se ad te?

his verbis se adolescentem non novisse satis indicans (cf. etiam vs. 91: *Mihi istum hominem vellem dari, Ut ego illum vorarem*, quae verba rectius me iudice Gymnasio tribuuntur). Denique si versus illi iam in lenae oratione scripti fuissent, non intellegi potest, qua de causa postea in prologo repetiti sint. Omnibus his de causis dubitari vix potest quin vss. 127—130 ad similitudinem versuum 188—191 ab interpolatore quodam conficti sint.

Iam si quaerimus quibus ratiocinationibus commoti viri docti ad unum omnes scaenam insequentem damnaverint, qua Auxilium deus ad argumentum, cuius iam particulam lena ebria spectatoribus explicuit, universum et plenum enarrandum in scaenam prodit, omnium in iudiciis semper repeti videmus vituperationem totum hunc prologum supervacaneum esse, quoniam

ea quae antecedit fabulae parte satis de singularum personarum condicione edocti simus. Fortasse etiam addi potest nihil ab Auxilio pronuntiari quod non, quantum e fabula misere mutilata perspicere licet, postea ab ipsis personis agentibus comperimus. Sed qui hoc argumento utuntur, naturam prologorum veterum omnino non perspexerunt. Eos enim ad refellendos nihil opus est nisi Euripidis memoriam revocare, qui prologos suos omnes ita conformavit, ut nihil aut fere nihil praebeant quod non in ipsa fabula commemoretur. Summum autem argumentum in eo positum esse mihi videtur, quod aptissima est argumenti enarratio eo loco quo tradita est. Prima enim audita scaena, quae primae Militis Gloriosi scaenae similis eam maxime ob causam praemissa videtur, ut praeclara naturae et ingenii meretricium et lenae descriptio eo insignius eluceat, mirum sane omnibus videbitur spectatoribus in Selenio meretrice inesse mentem a solita illarum mulierum natura prorsus abhorrentem.¹⁾ Quod cum nostri poëtae ita sine dubio instituturi essent, ut exspectatione mirantium multum demum ancta vera Selenii condicio patefieret, veteres in tali re audientes quam celerrime certiores facere semper studuerunt. Itaque nostra in fabula simulatque Selenium ex scaena abiit, statim ex lena invita, sed ebrietate ad loquendum coacta comperimus non meretricem esse Selenium sed puellam olim proiectam. Quibus communicatis cum cupiditas plura sciendi excitetur magis quam sedetur et exstinguatur, Auxilium prodit, ut omnes Selenii res uberius explicet. Hoc ad munus explendum nemo nisi dens idoneus videtur neque magis in *Auxilio* haesitandum esse crediderim quam in *Aëre* graeci poëtae, ut exemplum afferam, qui propterea ad prologum enarrandum eligitur, quia *aër* omnia tangit, omnia videt, omnia scit.

¹⁾ Eo magis, quia bonas in scaenam producere meretrices illo tempore non mos erat. cf. Euanthius „*de comoedia*“: *Quinctiam solus ausus est sc. Terentius) cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non desint.*

Paullo aliter atque in his de quibus diximus prologis res se habet in prologo AMPHITRUONIS, qui e numero septem initio commemoratorum solus restat. Uno enim in hoc certa vestigia originis recentioris insunt. Nam si legimus vs. 64 sqq.:

*Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Ut conuacstores singula in subsellia
Eant per totam caveam spectatoribus,
Si quoi favitores delegatos viderint,
Ut is in cavea pignus capiantur togae,*

eo tempore quo hi versus compositi sunt, theatrum iam gradibus instructum fuisse apparet, quod post Plauti demum aetatem factum esse Ritschelius evicit. Attamen etiam hic ex antea disceptatis fructum capiemus. Quod enim critici plerique ex versibus modo laudatis profecti priorem prologi partem usque ad vs. 95 retractatori cuidamtribuendam esse et finem modo inde a vs. 97 Plautinum censuerunt¹⁾, vix eos recte egisse nobis persuadebimus, sed quia hac parte argumenti enarratio continetur, in eundem errorem eos incidisse videmus atque supra demonstravimus. Etiam si potius additamenta quaedam posteriore tempore adpersa esse concedendum est, tamen eandem rationem atque ceteris etiam nostro prologo fuisse pro certo confirmari posse videtur et Mercurium ita munere suo functum esse, ut primum in universum de persona sua ad spectatores complura daret deinde argumentum eloqueretur, credo. Accuratius de hac re disserere et qui versus Plauti sit, qui recentioris poëtae disceptare nolim. Nisi enim probabili ratione quicquam eruere possimus — quod hic fieri posse nego — inutile et supervacaneum duco alios alias coniecturas vanas et fragiles effundere.

Extrema in disputatione liceat mihi perpauca addere quae alii in initio ponere solent, ut quibus causis ad hanc disputationem scribendam commotus sim profitear. Studiis in Plau-

¹⁾ Martinsii sententiam, qui ut facere solet totum prologum spurium esse iudicat, praetermitto.

tinis versatus cum primum huius poëtae prologos accuratius et impensius tractare coepi, ut discerem quid de eis indicandum esset, difficultatum mole et multitudine obrutus omnia quae viri docti de hac materia scripserunt, maxima diligentia perlegi, ut horum auxilio propositum peragerem. Ah! quam inani spe ductus eram! Quo intentius legebam eo obscurior fiebat res, et iam desperabam me umquam quicquam profecturum esse. Tum praeceptoris clarissimi benignitate edoctus multa in his rebus peccata esse, quod auctoritati virorum nonnullorum de Plauto optime meritorum plus aequo tribui soleat, ipse novum quaestionibus meis fundamentum substruere conatus sum. Et in tota ratione et in singulis me a criticorum Plantinorum consuetudine longe recedere ei qui in his studiis versantur, facile perspicent. Tamen quamquam de singulis alii aliter iudicent, rationem quam secutus sum, veram esse atque eam quae in posterum apud Plauti editores valitima sit, spero atque confido.

ERRATA.

pag. 9 vs. 4 pro iudicaverimus legendum est indicaverimus.
pag. 28 adn. 1 pro ide " " ide.
pag. 45 adn. 1 " Meinecke " " Meinecke.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. In Hautontimorumeni prologo ordo versuum non mutandus est.
2. Ibidem in versus 13. initio codicum scriptura *sed* retinenda est, iniuria editores plerique Bentleii coniecturam *si* in textum receperunt.
3. Vergilii eclogae VI et X Gallo etiam vivo scriptae sunt.
4. Ovidius Am. III. 9 versus 7 sqq. scripsit respiciens Tibulli II, 6. 15/16.
5. Propertii c. III. 20 neque dirimendum est in duas partes neque versus 11. 12. post 13. 14. ponendi sunt.
6. Herodotus quae VIII, 65 a Dicaeo Thucydidi filio Atheniensi narrata esse refert, non, ut vulgo putant, ab ipso Dicaeo audivit, sed ex libro illius quodam sumpsit.
7. Herod. VII, 3 e verbis *ὅς ἢ φάτις μὲν ἔχει* iniuria colligitur scriptorem quae hic narrat necessario ex hominum sermonibus, non ex aliquo libro, hausisse.
8. Antiphon tetral. A. β. 8 verba, quae in codicibus traduntur: *Ἐὶ δὲ τις τὰ εἰκότα ἀληθέσιν ἴσα ἤγετ' αὖ καταμμετροῦσσι μὲν τῶνδ' ἄν* (Blass: *τῶνδ' ἄν*) ἀντιλογισάσθω ἵτι κ. τ. λ. retinenda sunt. neque vero distinguendum est, ut plerique fecerunt, ante *τῶνδ' ἄν*. sed post hanc voculam.
9. In Anacreonteorum carmine primo vs. 7 retinendus est. quem V. Rose mirificum in modum propterea eiciendum esse dixit, quod *certa ἡμμερβίων paria hae sibi cantilenae volunt.*
10. Usenerus libro qui inscribitur *Altgriechischer Versbau* non demonstravit duas partes, e quibus versus heroicis compositus est, etiam historica aetate seorsum stetisse.

VITA.

Paulus Franciscus Theodorus Trautwein natus sum die XVI. mensis Julii a. 1867 Oderbergii, in oppido Marchico, patre Theodoro matre Maria e gente Kabelitz. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus gymnasium adii primum Augustae Imperatricis. quod vocatur, Charlottenburgiense, deinde Sophiae Berolinense. quod adhuc Paulo directore laetissime floret. Huic viro humanissimo. qui me inde a puero usque ad hunc diem insigni benevolentia prosequi non desiit, gratias ago candidissimas.

Maturitatis testimonium assecutus vere anni 1885 inter cives academicos litterarum universitatis Berolinensis receptus sum. Hic postquam bis sex menses studiis philologis operam navavi, Bonnam, amoenam Musarum sedem Rhenanam, transmigravi, unde anno post Berolinum reverti. docuerunt me vv. dd. Buecheler, R. Kekulé, J. Klein, Neuhäuser, Nissen, Usener; E. Curtius, Deussen, Diels, Ebbinghaus, Furtwängler, Kalkmann, Kirchhoff, Maass, Paulsen, Runze, J. Schmidt, Simmel, Strack, Vahlen, Zeller. Ut ipsorum exercitationibus interesset philologis Maass, archaeologis Furtwängler et Kekulé, epigraphicis Klein et Kirchhoff benigne mihi concesserunt.

Proseminario interfui per duo semestria Buechelero et Usenero praeceptoribus. Seminarii regii philologi Berolinensis fui sodalis ordinarius per quater sex menses. Denique inde a vere 1886 societatis academicae philologiae Bonnensis sodalis sum, inde a 1887 societatis Berolinensis.

Maximas ago gratias cum viris quos enumeravi omnibus tum Kirchhoffio et Vahlno. qui non modo scholis sed etiam benignis consiliis saepe me iuverunt.



0025979183

APR 2 1938

